TEOLOGIA POLEMICA
163
K
36.
BIB. NAZ. NAPOLI

163
K
36
NAPOLI

XXXII — A — 2

Digitized by Google

1592

Digitized by Google

VINDICIÆ
LIBRORUM
ECCLESIÆ LUTHERANÆ SYMBOLICORUM,

Ubi,

Quid ſenſu Orthodoxo ſint & valeant, indicato, Cenſuriſque, quibus vellicati primitus, diſſipatis, potiſſimum

NODI, à QUIBUSDAM
ETIAM
NOSTRATIUM OPPOSITI,

Scrupuliq ue alias variè collecti expenduntur

à

M. JOANNE FRIDERICO WALLISERO,

Poët. Laur. Vayhingæ olim, deinde Steinsfeldæ Paſtore, nunc vero Eccleſiæ Eſslingenſis Diacono.

Cum Approbatione Ducalis Conſiſtorii, & Theologicæ Facultatis in Academia Tubingenſi.

Joh. VII, 24. Jac. II, 1. Gal. VI, 4.

ULMÆ,

Sumptibus SAMUELIS WOHLERI, An. [illegible]

Digitized by Google

VIRO
PLURIMUM REVERENDO ET
CLARISSIMO
Dn. JOAN. FRIDERICO WALLISERO,
Verbi divini in Eccleſia Steinsfeldenſi Miniſtro fideliſſimo,

S. P. D.
In Chriſto JESU
ANDREAS ADAMUS
HOCHSTETTERUS, S.T.D. & Prof. Ord. Eccleſ. Tubingenſis Paſtor.

QUas ipſis jam Nonis Decembribus anni elapſi ad me dediſti litteras, recte quidem accepi; reſponſum tamen ad eas adornare nondum potui, quamquam ejus deſiderio Te vehementer flagrare ex propinquorum tuorum vellicationibus ſemel iterumque intelligerem. Non vaçat, neque apud Te neceſſum videtur, ſilen-

ſilentii cauſas operoſe exponere, ſatis quippe Tibi cognitas perſpectasque: ac norunt etiam exteri præcipuique Viri, quibuscum familiare per epiſtolas commercium mihi pridem interceſſit, patienter ferre lentorem meum, & commodum reſpondendi tempus amice mihi libenterque indulgent. Ceterum, quod ad ſuſceptam abs Te librorum Symbolicorum defenſionem attinet: eam, quum & legerit & orthodoxæ doctrinæ conformem judicaverit Facultas Noſtra, & inclyto inſuper Conſiſtorio Stuttgardienſi cenſendam eandem tradideris; neſcio ſane, quid ejus publicationem morari porro poſſit, aut jure debeat impedire. Gratulor potius exactum, DEO juvante, laborem, fructusque ex eo cum Eccleſiæ, tum etiam Tibi precor uberrimos, & in æternitatem valituros, qualesque & ſingularis eruditio ac zelus Tuus meretur. Eſt equidem ſcriptura unicus fidei ac Vitæ canon: non tamen ſugillandi propterea libri Symbolici ſunt, quos amplectimur, quia Scripturæ congruunt; & quibus doctrinis cœtus noſter perſonet, palam faciunt, huncque præcipue uſum præbent, ut omnes, qui docendi in Ec-

cleſia munere funguntur, τὸ ἀυτὸ ſentiant, ac ἐν τῷ ἀυτῷ νοὶ καὶ ἐν τῇ ἀυτῇ γνώμῃ coagmentati, τὸ ἀυτὸ etiam loquantur. Quod officium quemadmodum graviter inculcat Apoſtolus, 1. Cor. I, 10. ita, quoniam ad finem iſtum Libri faciunt Symbolici, eos *ſub medii ratione* non utiles modo, ſed & neceſſarios Eccleſiæ eſſe, immediatus finis mediorumque nexus luculenter evincit. Prorſus, ut horologio opus eſſe videmus, etſi unus ſolis motus horas diſtinguat, diemque nobis reddat, ac noctem tenebrasque ſecernat; ſic Symbola fulgentem in ſcripturis lucem exhibent, recteque adplicare docent, factamque in iis rerum ſacrarum deciſionem pro varia Eccleſiæ neceſſitate proponunt. Ex quo manifeſtum utique eſt, recte etiam *Symbolorum titulo* ornari libros iſtos, quoniam auctoritatem habent divinis e libris derivatam, & publicam continent confeſſionem, qua, veluti nota teſſeraque militari, dignoſci omnes ubique orthodoxi queant: ac in præcipuis inſuper & ſubſtantialibus fidei capitibus ab adverſariis nos diſcerunt, omnesque eos fidei articulos exhibent, in quibus una pars ab altera diſcernitur,

 ut

ut præclare demonſtravit Dorſcheus, * tum denique, quia ipſa ſcriptorum ſubſtantia quoad doctrinam immutabilis invariabilisque eſt. Nam verba quandoque in Symbolis etiam Oecumenicis mutata eſſe, vel ex Apoſtolico, quod vocant, Symbolo adparet, ac de typographorum ſcriptorumque negligentia circa libros quoque Symbolicos pridem conqueſtus e noſtris eſt *Chemnitius*, peculiari Epiſtola, quam ob nuperas lites, noſtro etiam judicio ſubmiſſas, & Eccleſiæ funeſtas, non poſſum non commendare. ** Scio eſſe, qui animo forſan non malo, at veræ in Chriſto Libertatis haud ſatis gnaro, multum hujus dignitati decedere Symbolorum ſubſcriptione exiſtiment; ſed ad eam ſane libertatem non vocati ſumus, quæ ordinem turbat, quo rite ſervato, ad DEUM, Ens ordinatiſſimum, proxime accedimus. Non eſt libertas, quælibet pro arbitrio ſtatuendi ſentiendique libido; ſed jubet inſuper charitas, jubet veritas, ut ſervetur analogia fidei, Rom. XII, 6. ac ὑποτύπωσις ſanorum

* Diſſert. ſecul. de Aug. Conf. p. 39. ſqq.

** Add. *Seb. Schmidt.* de Obligat Form. Conc C. III. §. 2.

norum verborum, 2. Tim. I, 13. ita ut omnes non idem modo ſentire debeant, ſed & idem loqui, 1. Cor. I, 10. & ſpiritus Prophetarum ſint Prophetis ſubjecti, 1. Cor. XIV, 32. quamquam, qua par eſt, moderatione, Theologi non minus; quam Magiſtratus cum *infirmis*, *tentatis*, vel *nondum ſatis informatis* agere etiam hoc in argumento ſciant; & magna inſuper cura ipſi librorum Symbolicorum auctores caverint, ne ulla ratione ſuis quidquam ſcriptis tribuere viderentur, quod ſolius ſcripturæ eſt, omnemque adeo convitiandi occaſionem adverſariis amputarent, normam, ut ajunt, non fidei, ſed profeſſionis fidei, condendo. *** Præcipuum, quodque ſumma cum voluptate in Libris hiſce deprehendo, ipſe jam in Epiſtola Tua tetigiſti: Fons veræ pietatis: Sanctificatio ex Juſtificatione manans: experientia ſanguinis Chriſti, impium juſtificantis, & per fidem magis magisque purgantis: parrheſia fidei in ſcriptoribus ſub cruce conſpicua; quid dulcius, quid profundius his Apologiæ

*** Libb. Symbol. p. 572. ibi. Cetera autem Symbola & in declarat. pag. 636. Add. Carpzov. Iſagog. in F. C. p. 1143.

aureolis? *In agone*, inquientis, *conſcientia*, *& in acie experitur conſcientia vanitatem ſpeculationum philoſophicarum! In juſtificatione agimus cum DEO! Ira DEI placanda eſt; conſcientia erga DEUM placanda eſt: Fides reſiſtit terroribus conſcientiæ, erigit & conſolatur perterrefactu corda; neque facilis res eſt, neque humana, ſed divina potentia, qua vivificamur, qua diabolum & mortem vincimus; eſt nova vita, neceſſario parit novos motos. Opinio Legis hæret naturaliter in animis hominum, neque excutè poteſt, niſi cum divinitus docemur. Fides denique vult à DEO JUSTIFICARI, SANCTIFICARI, GUBERNARI.* Quæ ſane dogmata neminem non in ſui rapere amorem venerationemque poſſunt, quoniam vim, ut expertus mones, ac robur ſuum in lucta ſpirituali vivaciſſime efficaciſſimeque exerunt ac demonſtrant. Ceterum, quæ Noſtris paroramata objectantur, incredibili diligentia vindicaſti. Certe cum Aug. Confeſſio, (ut vel uno alteroque exemplo finiamus) Ambroſium citat, non lapſus is memoriæ eſt, ſed allegatio ex eorum hypotheſi, qui iſtud ſcriptum pro Ambroſiano habuere. Apologia quoque vocabulis *meriti* & *me-*

veri non proprie utitur, ſed pro mercedis gratuitæ acceptatione; Vulgarius Art. X. laudatus, eſt Theophylactus, Abſolutionem Sacramentum proprie ſic dictum vocat, non tamen in ſtrictiſſimo, quem vocant, ſenſu. Neque eſt, cur Formulæ Concordiæ de adiaphoris doctrina vapulet, quum *non quid ea in ſe ſint*, ſed quo apud Adverſarios loco habeantur, qui ea vel ut neceſſaria urſere, vel ut illicita, Papatusque reliquias traduxere. Sed deſinendum mihi eſt, quanquam non ſine animi triſtibus Eccleſiæ noſtræ fatis ingemiſcentis ſignificatione, ut ad preces ſynagoniſticas tanto ardensius alterum alter excitemus. Quid enim quæſo niſi extrema omnia meruimus, mutatis paſſim ligonibus evangelicis in diſtrictos enſes, ſcholisque amantium in arenas gladiatorum? Templis non uno in loco in amphitheatra: miniſtris pacis in Feciales. Cui malo accedit Vigilum vel obitus, vel paucitas, vel in peragendis Eccleſiæ excubiis ſomnolentia: ars item captandi laborantium gratiam, ac ſuffurandi benevolentiam verborum lenimentis, quam non quidem Medicorum Filiis prohibuit Cous ſenex, ſuis

 tamen

tamen Chriſtus. Dolemus, quotquot in Chriſti miniſterio famulamur, partam à Domino libertatem evangelicam paſſim in licentioſitatem tractam, ut ſcandalo facti exteris, ſine lege, ſine metu Numinis vivere plerique videantur; vanâ inducti perſuaſione, fidem ſufficere, quam dolor de peccatis non anteceſſit, quæque corda non purgat, velut incomparabili Chriſti merito indultum ſit mortalibus peccandi privilegium. Quæ, tametſi Eccleſiarum noſtrarum Librorumque Symbolicorum doctrina non eſt, & per deteſtandum atque execrabile convitium Lutherano cœtui imputatur: altas tamen in multorum animis radices adeo egit, ut nihil ipſis tamen exoſum videatur, quam ſeria iſtius confutatio. Negari etiam non poteſt, multos in ſcholis & templis docere, qui vera ſolidaque eruditione deſtituti, judicium de rebus controverſis ſibi ſumſere, ac damnare hactenus auſi ſunt, quod nemini ſanorum cordatorumque Theologorum diſplicuit. Vellem, ſi tempus pateretur, catalogum pertextere bene longum hominum ineptorum, ac in pacem veritatemque Eccleſiæ iniquiſſimorum; ſed

cum

cum hiſce quidem altercari mihi nec otium eſt, nec utilitas publica permittit. Norunt probi omnes, quid à maleferiatis quibusdam ſcriptoribus meritiſſimo de Eccleſia & Aulâ Würtembergica *D. Hedingero* evenerit, quem ob nonnulla durius dicta fanaticorum turbæ adſcripſerunt; hoc tamen inani ſuo labore meruerunt, ut in Catalogo ineptientium deinceps ac tamdiu percenſeantur, donec reſipuerint. Dignetur ipſe Chriſtus expedire labyrinthum, cui omnium ordinum ingratitudo nos involvit, & illibatam nobis veritatem Evangelicam tot ſanguinibus partam conſervet. Quem, quod reſtat, oro precorque, qui Tuis in Eccleſia laboribus porro benedicat, & quem hoc ſpecimine mereris, καλὸν βαθμὸν Tibi aſſignet, faventesque Tibi non gente modo, ſed & animis, illuſtres *Schmidbergios*, quos referenter ſaluto, tueatur. Scripſi Tubingæ XVI. Martii, Anno M DCC X.

In

In Nomine Jesu,

Domini in conſcientia ſpiritu ſuo regnantis, Amen.

PEricula, fata, & dura quandoque judicia, ſinceris verbi Divini præconibus ab ingrato æque ac perverſo mundo ſufferenda, quis rerum peritus ignorat? Compendii ergo non ego id eloquar, ſed ad Librorum Symbolicorum teſtimonia ſedulum ac benignum meum Lectorem amice remittam. Vid. p. 20. lin. 5. & ſeqq. p. 230. lin. 4. 8. Chriſtophorum pinxit aliquis vir prudens, ut ſignificaret per allegoriam, magnum oportere robur animi eſſe in his, qui ferrent Chriſtum, hoc eſt, qui docerent Evangelium, aut confiterentur, quia neceſſe ſit ſubire maxima pericula. p. 364. lin. 8. 20. *Hoc* igitur *probe* conſiderent Parochi, & Miniſtri verbi, longe jam aliud ſuum eſſe officium, quam olim in Papatu fuerit. Jam tamen eſt Miniſterium ſalutis & gratiæ, ſit igitur quoque difficilius & laborioſius. Et cum graviſſima pericula, & tentationes in Miniſterio ſint perferendæ, tamen

men neque laborum præmium, neque gratias in mundo meretur. Verum nihil nos *illa mundi ingratitudo cum* ſumma *impietate* conjuncta moveat. CHRISTUS IPSE ſatis ampla præmia propoſuit, ſi modo fideliter in vinea ejus laboraverimus, id autem, ut commodius poſſimus, faxit Pater omnis gratiæ, &c. & p. 444. l. 1. - 12. illi enim ſoli *ſpirituales Patres* dici merentur, qui verbo DEI nos *paſcunt*, *regunt ac docent*, & fideliter præſunt gregi. Quo nomine S. Paulus ſe Patrem jactat, ſcribens Corinthiis, 1. Epiſt. IV, 15. IN CHRISTO JESU per Evangelium vos genui. Cum ergo Patres eos (ſeu tales) eſſe conſtet, etiam *his* honor deferendus eſt præ omnibus aliis. Verum enim vero hic omnium minime cernitur. Ad hunc enim modum à mundo honorandi & honeſtandi ſunt, *ut paſſim ejecti oppidis agantur in exilium, & ne fruſto quidem panis paſcantur citra invidiam,* & in ſumma, hujus mundi purgamenta, & peripſemata omnium eſſe cogantur; adde lin. 13. - 29. loc. cit. pag. 468. lin. 16. - 30. Calumnioſa mundi judicia de Evangelico & Eccleſia ſic exhibet ac deplorat Lutherus: Transgreſſio præcepti octavi multò latius patet, ſin in ſpirituale Judicium aut regimen referatur, ubi ita agitur, ut vivis adverſum proximum ſuum falſum loquatur teſtimonium, ubicunque enim gentium probi agunt Chriſtiani & Prædicatores, eo jam damnati ſunt coram mundo judicio, ut pro hæreticis & Apoſtatis habeantur, imo ut ſeditioſi & perditiſſimi latrones dican-

dicantur & æſtimentur. Adhæc DEI quoque verbum turpiſſimè & virulentiſſimè inſectationem patitur, blaſphematur, mendacii arguitur; malitioſe pervertitur, & falſo huc & illuc torquetur ac depravatur. Ea enim cœci mundi natura eſt, ut veritatem & filios DEI improbe condemnet, & injurioſe inſectetur, neque tamen hoc factum peccati loco æſtimet. Id. p. 475. lin. 17. - 21. Linguis venenatis atque deſtiferis unice ſtudio eſt, ut, ſi quid expiſcentur & arripiant, quod in proximo reprehendere queant, illud peſſime interpretentur, aut malitioſe pervertant; quemadmodum jam omnium maxime *DEI verbo ejusque* Doctoribus ſolet contingere. Id. p. 519. lin. 21. - 35. Ut in cognita veritate perſiſtamus, miræ exorientur tragœdiæ, multæque impugnationes & caſus nobis erunt ſufferendi ab omnibus iis, qui duo priora (Nominis divini ſanctificationem, & Regni DEI adventum) ſumma ope impedire nituntur atque ſubvertere; Nemo enim facile credit, quam diabolus omnibus repugnet viribus, ut qui ferre non poteſt, quenquam *recte* docere, aut *ſincere* credere, neque illi quicquam poteſt accidere ægrius atque dolentius, quam quod videt, nugaces & abominabiles doctrinas ſuas, ſub ſpecioſiſſimo DEI Nomine adoratas, jam exorta luce Evangelii detegi, atque ita ſubſannari, inſuper è pectoribus hominum evelli, talique clade Regni ſui pomœria imminui. Quocirca tanquam inimicus ira percitus fremit inſanient, omnique exer-

exercitus ſui robore nos incurrit & adoritur. Præterea omnium ſuorum copias ſibi adjungens, mundi quoque & propriæ carnis noſtræ ſocia arma auxilio ſibi depoſcit. Etenim caro noſtra per ſe pigra eſt, & prona ad malum, tametſi verbum DEI apprehenderimus & credamus. Porro autem Mundus extreme malus & improbus hunc in nos omnibus modis incitat, inſtigans ac provocans, ut objecto impedimente nos retrahat, proſternat, ac denuo victos ſuo imperio ſubjiciat; Hæc tota ſua voluntas eſt, has cogitationes verſat in animo, hoc diu noctuque molitur; Nec momento quidem quieti indulget & otio; omnibus ſuis artibus, dolis, inſidiis, rationibus, modis, viſque utens, quaſcunque excogitare poterit. Quare non eſt, quod quicquam certius nobis futurum polliceamur, ſi nobis animus eſt, ESSE Chriſtianos, quam cum diabolo & omnibus angelis ejus, neque non cum mundo, nobis ſuſcipiendas eſſe inimicitias, nos omnibus modis & omni moleſtiæ genere vexaturis & infeſtaturis. Ubicunque enim gentium Evangelium prædicatum, acceptum aut creditum fuerit, & fructus produxerit, ibi neceſſario crucis quoque perſecutiones conſequuntur. Neque eſt, quod quisquam cogitet, ſe pacatè & tranquillè victurum, ſed ſemel jacta alea periclitandum eſſe de omnibus, quæcunque in terris uſpiam poſſidet, de fortunis, honore, fama, ædibus, conjuge, liberis, familia, denique etiam de vita & capite proprio. Hoc

jam noſtræ carni, nempe Adamo veteri, vehementer dolet: neque tamen malis cedendum eſt, ſed magno animo conſtanter perſeverandum, ſed contra fortius eundem, ut invicta animi tolerantia, quibuscunque injuriis impugnati fuerimus, perferamus, eaque æquo animo mittamus, quæcunque nobis per vim erepta fuerint. Eam ob rem æque neceſſarium eſt, ut in omnibus aliis indeſinenter oremus: Tua voluntas, precor, fiat, optime Pater, non diaboli neque inimicorum noſtrorum, neque omnium illorum, qui Tuum ſacratiſſimum verbum inſectantur, quærentes illud opprimere, aut Regnum Tuum impedire. Largire quoque nobis eam animi patientiam, ut, quæcunque nobis propterea toleranda ſunt, patienter ſufferamus atque vicamus, nec miſeranda noſtra caro, victa imbecillitate aut pigritia, repudiata cruce turpiter tergiverſetur.

Ecce ita ſimpliciſſime his tribus petitionibus neceſſitatem ipſi DEO incumbentem habemus, veruntamen propter nos. *Nobis enim tantum ſeritur ac metitur*, ſi quid oraverimus, (ſicut dictum eſt) *ut in nobis quoque illud fiat, quod alioquin etiam extra nos fieri oportet.* Nam quemadmodum ejus nomen, etiam nobis non orantibus, ſanctificari, & regnum Ejus venire debet: Ita quoque voluntas ejus non poteſt non fieri, quamquam Diabolus cum omnibus ſuis auxiliaribus copiis Ei repugnet, iraſcatur, & inſaniat, ſumma ope nitens, totum Evangelium

lium

lium ſubvertere. Verum propter noſmetipſos nobis orandum eſt, ut ejus voluntas inter nos etiam, adverſus ejusmodi illorum inſanias completa, locum inveniat, ut omnis illorum conatus fruſtra ſit, & nos adverſus omnem injuriarum vim atque inſectationem inconcuſſi perſeveremus, ac talem DEI voluntatem nobis nunquam diſplicere ſinamus. Talis, inquam, oratio jam nunc noſtra debet eſſe Tutela & propugnatio, quæ fuget proſternatque omne, quicquid *diabolus*, *Epiſcopi Tyranni & Hæretici* adverſus Evangelium noſtrum inſidioſe moliuntur. Permitte ſane, ut omnes magno erga nos iraſcantur ſtomacho, omnem (quod ajunt) moventes lapidem, ut collatis in unum conſiliis decernant, quomodo nos velint opprimere, ſubvertere, evellere, ut SUÆ voluntatis & conſilii ſiant compotes. Horum omnium improbis conſiliis & perfidis conſpirationibus unum atque alterum Chriſtianum, hac armatum precatiuncula, non verebor opponere: ille noſter murus erit & propugnaculum, quo victi ac profligati fœde ſuccumbent, Confer. p. 20. lin. 5. ſeqq. & p. 300. lin. 15.- 28. Sic Confeſſores, ac præcipue Lutherus de Mundi impii ac hypocritici Genio, ſuæque propriæ Experientiæ exemplo teſtantur. Mirumne igitur, ſi etiam hodienum idem fatum maneat eos, qui ſuper confractione Joſephi afficiuntur dolore? Ad crucis Myſterium pertinet & hoc! (Negari tamen nequit, graviſſimo

premi onere, noxiis famæ qui premitur præjudiciis! Eheu, &c.] p. 520. 521. totæ. Ah! quam gravi premitur pondere ac onere, qui noxiis famæ premitur præjudiciis. Eheu callidam, quæ ſubeſt, Satanæ verſutiam ac methodiam! Magna certe eſt famæ & Conſcientiæ colliſio! Utrique ſuus in Chriſtianis quoque locus, ſi non quam maxime! Nugacem famam candidum ſuffocat ac diſſipat veritatis teſtimonium. Vitam monſtrat praxis, doctrinam confesſio, utramque cernit ac judicat JEſus, cui judicium datum. Conſcientia fidei morumque agmen & ducit & claudit, α & ω eſto! Quæ coram DEO ſentis, coram Mundo, præcipue vero coram Eccleſia, ut reveles, quid juſtius? Si audis, qui non es, dic quis ſis, & ſecus forte audies! Silentium Amyclas perdidit, Sic ſile, ut loqui diſcas, & loquere, ut ſilere ſcias. Omnia temperet fides, charitas, modeſtia & veritas. Malæ Harmoniæ exitium afferunt, ait Plato in LL. Symb. p. 277. lin. 24. ſeqq. Diluvio quodam ſermonum vage mentientium te cernis obrutum? vis emergere? Nonniſi vera animi Tui ſenſa exponendo eluctaberis; Sic mendaces in te denigrando harmonias quadantenus forſan divides, cum exceptione tamen fati Apoſtolico-Chriſtiani, 2. Cor. 6, 8. 9. per infamiam & bonam famam; Quaſi ſeductores & veraces. Sed & Tu, mi Chriſtiane, memento, quid olim Chriſtianorum hoſtes attentaverint de quo v. D. Kortholti Librum de vita & moribus, Chriſtianis primævis per gentilium malitiam

litiam afflictis; ut & Ejusdem de Calumniis Paganorum in Veteres Chriſtianos ſparſis Tractatum, & prudenter cave, ne fidem iſtis habeas, qui, *ut odia hominum adverſus eum inflamment, quem petunt, miras in populum ſpargunt calumnias. Hoc nimirum irritat animos bonorum virorum, prabet occaſionem diſſidio, auget diſcordias. Et veritas ex vulgi rumoribus, aut maledictis inimicorum colligi non poteſt.* Hæc ſunt ipſa vox, petitio & mens Aug. Confeſſ. p. 20. lin. 20. - 24. & lin. 28, 29. Nec aliud impræſentiarum ago, quam ut ſiniſtris de me multorum ideis & relationibus obviem; quas forſan amoliturus, tres in titulo præfixos tractandos ſelegi articulos. Nonnihil temporis effluxit, ex quo confuſæ pravæque famæ admodum evaſi obnoxius. Quantum autem Veritas & charitas *paſſim* poſthabitæ ſint, id ipſum eſt, quod Divinæ in conſcientiis, exacte ſibimet olim revelandis, committo criſi. Ego certe ultra Chriſtianam fidei vitæque ſimplicitatem nihil quæro, urgeo, aut *unquam* docui. Scripturis revelatis unice acquieſco. Eccleſiæ ritus ac Leges non ivi diſturbatum *unquam*, & necdum ibo. Facile etiam judicare poſſum, *nihil magis prodeſſe ad dignitatem ceremoniarum conſervandam, & alendam reverentiam ac pietatem in populo, quam ſi ceremonia rite fiant in Eccleſiis*, uti expreſſe totidemque verbis loquitur A. C. p. 21. f. Eccleſiaſticas nimirum *Ordinationes convenit Eccleſias propter charitatem & tranquillitatem ſervare, eatenus, ne alius alium offendat, & ut ordine ac ſine tumultu omnia fiant in Eccleſiis*, v. A. C. p. 42. f. Exter-

næ enim ceremoniæ non refragantur naturæ Novi Fœderis; quippe genuinus Rituum Eccleſiaſticorum finis eſt α) Tranquillitas ordinata, β) εὐσχημοσύνη externa, & γ) coërcitio carnis. v. A. C. & Apol. p. 14. 20. 42. 207. 209. 212. 213. 214. Exercendi autem ſunt 1.) pie, p. 2. 3. lin. 6. E contra 2.) decenter. p. 212. lin. 10. Ceterum 3.) Libere. p. 211. l. 17. 18. volunt igitur. 4.) prudenter. p. 214. lin. 19. & tamen uſum. Sunt indifferentes non ſimpliciter quoad exercitium in reſpectu ad ſingula Eccleſiæ membra, verum in ſeſe & reſpectu totius Eccleſiæ. Eorum mutatio, ſive à certis ſaltem unius cœtus membris, ſive ab integra vicina Eccleſia particulari ſuſcepta, Eccleſiam poteſt turbare. Chriſtianarum ceremoniarum Moderatrix eſt ac eſto Fides & charitas. Sic *hactenus* (coram DEO verum dico) de Ritibus ſenſi. Sic *hactenus* cum Ritibus egi. Nec mutatæ mentis ſum etiamnum. Nunquam enim offecerunt *vel* Conſcientiæ, Rom. XIV, 14. & 1. Cor. XIV, quam ſequor & audio, *vel* Officio, quod geſſeram. Nec eorundem abrogationem vero quodam in veri Chriſtianiſmi promotionem influxu operari, advertere poteram. Theologiam quoque cordis & vitæ practicam, Apologiæ & Catechiſmis Lutheri prorſus Domeſticam ac propriam, ſemper ſum reveritus ac admiratus, ex quo, quid theſis Theologica, i. e. certus ac rectus de DEO ſenſus eſſet, experiri ac perſentiſcere cœpi. Formulas caute loquendi, & diſtincte tricas extricandi prudentiam, ſuppeditat Formula

mula Concordiæ ſtricte dicta. Et theſin & praxin (ſeu Chriſtianam doctrinam æque ac vitam) ſuo & concinno modo Auguſtana Confeſſio; Lutheraniſmum cum Papiſmo irreconciliabilem, articuli monſtrant Smalcaldici. Et quid dicam? Hoc dicam: Convictio, guſtus ac αἴσθησις, (Phil. 1. 9.) quam in conſcientioſis (grandis vox, at multum grandior res!) perquiſitorum Librorum Symbolicorum evolutionibus, ac eorundem ad conſcientiæ, coram DEO luctabundæ, experimentum, relatis meditationibus, accepi guſtavique, omnem meam me exprimendi dictionem longe ſuperat. Hos urſi, hos prælegi, hos explicui, (ne nomine quidem antea cœtui cognitos) hos præſens communicavi, hos quoque abiens dono reliqui meis tum temporis in Eccleſia Vayhingenſi (qui pagus patrio, & antehac etiam meo, Eſſlingenſi videlicet, Magiſtratui ſubeſt) docendis, tanquam perpetuum doctrinæ *ex me* auditæ, in adyto ipſis monumentum. Docent Theologiam in igne perſtantem, certe in fidelibus perſtituram! O quam vera, ac tuta THEOLOGIA, quæ ſuum, quando cum DEO & λόγῳ DEI æterno ſeria cordis pugna & individuali applicatione cominus agendum & colluctandum eſt, non deſerit, adeoque nec inani ſpe lactat nec fallit Theologum! O quam ſolida, quæ paſcit, cum pabulo opus! O quam ſana, quæ ſanat, cum ſanatio anhelatur! Et talis eſt Symbolica. O profundam inibi ſimplicitatem! O quantum animæ, in illas lectiones reali experientia in-

greſſuræ, Gymnaſium! Et hos ſane omnibus quam perſpectiſſimos optarem. Horum publica & commendatione & vindicatione genuinum animi mei ſenſum in aprico fore, ſpero, puto. Quo me adegit non proſiliendi ſcribitandive libido, ſed ſuſpicionis pravæ, à me amoliendæ, magna neceſſitas. Si enim illud malum, quo non aliud velocius ullum, & quod mobilitate viget, viresque acquirit eundo, famam dico, verum de me ſparſit, ego αὐτοκατάκριτος fuero hypocrita, Libros ſymbolicos ſancta fide bis pro γνησίως *orthodoxis* (*recta & plana*, ut & *ad Dei gloriam* proficua *ſentientibus*) ſubſcribendo agnitos, & citra mentis reſervationem animitus approbatos, in argutum duntaxat fucum faciendi convertero medium. Sed abſit, ut offucias offundam Eccleſiæ, neminem tandem, cum ad agonem in Dei judicio perveniendum eſt, plus decepturus, quam memetipſum, alias ſatis, quod agat, habentem, gravaturus confixurusque conſcientiam. Verum enim vero, quod cernis, conſcriptum, animum theſi Symbolicæ meum propius *dudum* ac intimius affixerat, quam *ii*, *qui mihi parum bene cupiebant*, ſibi perſuaderi paſſi ſunt. Nec deinceps deſiſtam ab annotandis iis, quæ Libros noſtros Eccleſiaſticos commendare queant. Permitto me tamen divino Patris mei cœleſtis nutui ac regimini. Ah! JESU CHRISTE, Tu me duc in Tuam Veritatem!

Duc me, nec ſine, me ſine TE, Dux optime, duci,
Nam duce me pereo, TE duce rectus eo.

Tu me Tibi uni ac inſere! Tu oſtende conſcien-

ſcientiæ meæ, absque Te prorſus miſeræ, ſemper mediam ab eo, quod deficit, & quod excedit, remotam viam. Fac Te profitear corde, ore, opere, contra hypocriſin & impietatem, verum, vivum & ſanctum JESUM MEUM! Da prudentem, o tu Jpſum illud grande Patris Conſilium, in Te νῦν, ne quoquo modo propriæ Tuæ cauſæ ulla ſaltem injiciatur remora! Tu mihi eſto totus unicum illud cognitionis & pietatis myſterium! Tuæ Virtutes, o CHRISTE, humi repunt, ſed ſublimem ducunt & produnt ſpiritum! Operare humilitatem, patientiam, charitatem, ſanctitatem, manſuetudinem, acquieſcentiam & αὐτάρκειαν! o characteres Chriſtianiſmi non fallentes! Et hæc ſunt functio animi longe ſolidior, quam quæ ſua quadam rationis etiam in renato ſpeculatione ac titillatione ſe ſolent animo humano quandoque in ſpeciem commendare. Former in Tuam effigiem, o JESU! Tu animum à falſis & anomalis, qui nonnunquam ſubeſſe ſolent, ac facilius, quam libenter advertitur, poſſunt, expurga finibus! Tu fac, τὸ ἔσω καὶ τὸ ἔξω in nobis idem, h. e. mundum! Tibi innoteſcam, Tuque mihi, orando, non audendo. O mi CHRISTE, Tuæ ſapientiæ dictamina mihi cœco ſuggere! Labaſco? Retine! Labor? Erige! ſto? Confirma! Confirmor? Humilia! Humilior? ſolare me! Ne me deſere, Tu mi Medice! dona mihi, conſerva mihi, o mi fidei Operator, fidem illam, illam *fidem, qua ſentit, ſe, ſe. habere Deum placatum propter Ipſius miſericordiam, &*

vult

vult à Deo α) Juſtificari, β) ſanctificari, & γ) gubernari. Per ipſiſſima tradita & verba Apol. p. 117. lin. 23 - 26. conf. p. 145, lin. 5. & 30. O ſanctiſſime DEUS, ſine Tuo, ſine Tuo Numine, nihil eſt (ſit) in me homine. Omnia Tibi debeo, omnia ex Te deſidero! omnia ex TE expecto. Tu, o JESU, perrumpe cœlos, & manifeſtare in Tua gloria, ut tanquam vita in fidelibus tuis nunc abſcondita tandem cernaris. Fiet, ſed Tua, Tua Voluntas. Interim nihil niſi miſerationum Tuarum imploro viſcera. Tua me ſervet Miſericordia, & φιλανθρωπία. Ah! *væ, iterumque væ vitæ meæ quantumcunque laudabili, ſi remota judicetur ac diſcutiatur Miſericordia*, per Apol. p. 129. lin. 3.-5. ex Auguſt. Libr. IX. Conf. cap. 13. Ah! reſpice Tuum corpus, quod Spiritum Tuum in ſe ſentit ac non impedit. Ah! ſolare contritos, repara luxatos, convince dubios, conforta fideles. Miſerere mundi, cujus portaſti peccata. *Libera Tuos adventu Tuo glorioſo. Actum eſt fere* de mundo & humano mundi genio ſodalitioque. *Hi mundani Te non curant. Juva ergo nos miſeros & inopes, qui ad Te gemimus, & Te ex corde quærimus ſecundum gratiam, quam nobis dediſti per ſpiritum ſanctum TUUM, qui Tecum & cum Patre vivit & regnat benedictus in ſecula, Amen.* Apol. p. 303. f. O JESU, Jehova, Jmmanuel, per Tua miſerationum viſcera fiat, Amen! Amen!

Dabam ſub ſcuto DEI mei inter Exteros me tuentis, &c. Tubingæ, Æv. Chriſti M. DCC. VII. menſe Martio.

CAPUT

בשש

Caput Primum

Exhibet Senſum de Libris Symbolicis genuinum.

§. 1.

Librorum Symbolicorum neceſſitas non fuit olim, nec eſt etiamnum abſoluta, ſed expedientiæ & hypothetica, legitima tamen, magna & ſolida.

§. 2. Occaſio, Stilus, Methodus, modus communicandi, proceſſus, humana ſunt.

§. 3. Scopus eſt Didaſcalicus, purgativus, coërcitivus, Apologeticus.

§. 4. Doctrina inibi contenta quoad rem fidei ac morum eſt ipſa revelata veritas.

§. 5. Nec Error Fidei, impiumve Dogma, aut Parorama morale ex Ignorantia vincibili profectum, illis ineſt.

§. 6. Pia Cura & ſeria Conſcientia perquiſiti per dignitatem ſuam intrinſecam merentur, imprimunt nobis ac operantur Veneratione

tionem & aſſenſum noſtrum; imo jure ſuo exigunt, tantumque non vel invitis extorquent; licet & ipſi inter ſe gradibus exochicis diſtincti ſint, & ſuam Virtutem quoque pio, intraque ſe & ad Textum attento Lectori diſtincta plane Criſi exerant, communicent, ſentiendamque propinent.

§. 7. Credenda quidem limpide definiunt terſeque exponunt, Controverſias autem exortas caute ac nervoſè dijudicant.

§. 8. Nihilominus à catachreſtica, impropria, & Scripturæ S. ferme præjudicanti divinitatis ac θεοπνεύσεως, quam quidam ſuo certoque ſenſu ipſis tribuunt & concedunt, attributione & commendatione prudenter abſtinetur.

§. 9. Sat ipſis eſt, ac eſto Autoritas, quam in Eccleſia noſtra Jure habent, ingens, celebris, valida, obligans, & effectiva.

§. 10. Et juſta ex Claſſe Traditionum humanarum exemtio.

§. 11. Et in ordinem Normarum Evectio ac Transpoſitio.

§. 12. Omnes enim γνησίως & conſcientioſè Lutherani, illis, tanquam bene conceptis ac receptis Libris Eccleſiaſticis, vere *non tantum* quoad intellectum, doctrinam, & ut, quod ii docent, etiam ſentiant ipſi ac doceant, *ſed etiam* quoad voluntatem, vitam, & ut, quod ii docent, ipſi etiam faciant, ex fide Veritatis Divinæ & amore unitatis Chriſtianæ ſunt ac ſunto quam adſtrictiſſimi.

§. 13.

§. 13. Obligatione non ſervili, ſed cum ſpirituali fidelium libertate indeſinenter compoſſibili.

§. 14. Qua obſtricti ſumus, Doctrinas, quas urgent, urgendi, quas improbant, improbandi, phraſes, quas determinant, expreſſe conſiderant & decidunt, ſervandi, quas ſemovent, vitandi.

§. 15. Adeoque ob id ipſum non etiam ad Parerga, ad omnes ſimpliciter circumſtantias, ad quasvis Clauſulas phraſesque fortuitò & in fluxu quaſi Sermonis obvenientes, ad probationes, illationes, allegationes, (Scripturæ Patrumque,) characterem dicendi, modum probandi, ordinem tractandi, exegeſes, ratiocinia, & quædam de quibusdam occaſionem rei ipſius lata judicia Philoſophica & Chronotactica: nec tamen nodus etiam hic in ſcirpo quærendus. Prudens & modeſta Veneratio pium quemque à vano carpendi pruritu in conſcientia prohibeant!

§. 16. Quamvis enim ſint ac æſtimentur ab Eccleſiis Lutheranis Norma vera, non tamen ſunt primaria, ſuperior aut αὐτόπιςος, immediata, independens ac normans, nec adæquata, nec illimitatè ac in ſe infallibilis, nec abſolutè univerſalis, aut ſimpliciter & authenticè deciſiva, nec denique in ſenſu ſpeciali, ſtrictiſſimoque.

§. 17. Sed tantum ſecundaria, inferior, ſubordinata, dependens, mediata, ſecundum quid, hypothetica, particularis, teſſeralis, diſcretiva,

ſcretiva, normata, & in ſenſu generaliori, tantum ex compromiſſo, & ex deciſionibus Conventionalibus certarum Eccleſiarum, quoad talem eſſendi valendique modum ac determinationem oriunda, potiusque Polemico-Elenchtica, quam præciſè omniumque plene didactica. Denique ſaltem per analogiam aliquam, & quidem externam talis, ac in ſuo genere duntaxat, atque quoad teſtificationem quoque Veritatis. conf. Quenſtedt. cap. III. Sect. 2. p. 466.

§. 18. Quin non tam norma fidei ipſius, quam doctrinæ publicæ, & Eccleſiæ, qui ad ipſos adſtricti ſunt, Doctorum, atque ſic profitendæ fidei, prout hæc quoad certa capita controverſa in noſtris Eccleſiis perſonat ac perennat, Norma, cum quæritur non tam de Veritate Doctrinæ, ut quæ in candidè pieque ſubſcripturo ex ſola Scriptura præſupponitur, quam de Ejus receptione, vigore, approbatione, propagatione ac defenſione.

§. 19. Unde fidem non generant, aut præſcribunt, ut Carpzov. in Iſagoge p. 5. loquitur, ſed jam genitam roborant, ejusq; profeſſionem externam preſſius determinant.

§. 20. Sicque quidem à Scripturis Sacris καθ' ὑποταγὴν, & ab aliis humanis καθ' ὑπεροχὴν, diſtinguuntur.

§. 21. Ad illos tamen obligari poſſumus & juramento & Scripto, ſiquidem ex infallibili DEI verbo originem trahunt, & eadem Divina Veritas tantum ſub determinatiori & expreſſi-

expreſſiori profeſſionis ac obligationis modo ſic defenditur.

§. 22. Ratio enim formalis obſtrictionis, adeo Sacræ, in membris Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ petitur ac derivatur ab ortu conſenſuque LL. Symbolicorum ex & cum Scriptis immediate Divinis ac θεοπνεύστοις, ut & ex publica Eccleſiæ γνησίως Lutheranæ Receptione.

§. 23. Hinc Subſcriptio per QUIA, ei, qui ſollicite ac devote eos explorando, veritatem ἔγγραφον quoad Subſtantiam dogmaticam inibi contineri, reperit, ac Divina fide convictus eſt, incumbit, tanquam juſta, facillima, conſcientiæ jucunda, fidei noſtræ honeſta, imo tanquam tutior, certior, ac intentioni ſpeique Eccleſiæ paſcentis æque ac paſcendæ longè convenientior, utilior, ſalubrior, omnique modo gratior, quam quæ fit per QUATENUS, quæ fraudulentorum eſt ac eſſe poteſt incruſtamentum, involucrum ac latibulum potius, quam infirmorum qualecunque, quamvis vix, imo nequaquam certe ſolidum adminiculum, durabile refocillamentum, aut conſtans munimentum.

§. 24. Extra caſum quidem Subſcriptionis, & in negotio, ut ſic dicam, conſcriptionis, lectionis, probationis, convictionis & receptionis, magni ſunt Theologi, imo ipſimet F. C. autores, p. 635. lin. 28 - 30., qui Libros Symbolicos unice veros, ac tantum,

eatenusque admittendos, quatenus & in quantum cum Scripuris conſentiunt, dicere haud verentur; ſed in puncto & caſu Subſcriptionis, confeſſionis, & officii juxta illos adeundi & adminiſtrandi, adeoque Symbolicæ doctrinæ propagandæ, eam formulam QUATENUS, IN QUANTUM &c. dubiam, periculoſam, ſuſpectam ac impuram improbant, & exterminant.

§. 25. Extendit porro ſe iſtà obligatio ac Subſcriptio tantum ad præſentem animi Tui conſtitutionem, certamque cordis Tui de Veritate convictionem, non autem ad Scrupulos &c. deinceps forte emergentes, aut poſſibiles; ad quorum tamen realem ſolutionem ac excuſſionem, nec inter nos, ſi volueris, forſan deerit, qui Tuæ medeatur conſcientiæ, modus ac medicus; dummodo nec procaci levitati, curioſæ novitati, ſeu deſultoriæ temeritati nimis indulgeas, nec commodas interpretationes aut mitigatorias declarationes ſubterfugias, contemnas, reformides, aut faſtidias. Utique enim citra omnem αὐθάδειαν, pervicacemque philavtiam paci mutuæ, tranquillitati communi, & charitati prudenti velificandum, concedendum ac ſtudendum. *Dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit, non agit aut inquirit omnia ſummo jure. Leviſſimæ offenſiones, & levia quædam errata ac diſſenſiones æquitate & commoditate mitigantur, imo componuntur. Neceſſaria eſt virtus ἐπιεικείας ad publicam concordiam retinendam, quæ non poteſt durare, niſi multa diſſimulent,*

lent, multa condonent inter ſe Paſtores & Eccleſiæ. Per expreſſa tradita Apologiæ p. 104 - 107.

§. 26. Obligatio iſta tanto facilior eſt ac juſtior, quanto ipſi libri ſunt graviores, peritiores, doctiores, ſimpliciores, devotiores, ponderoſiores, pleniores, realiores, ſolidiores, & Divinæ prorſus emphaſi, characterique, Divinam probe ſubacti in viis Domini cordis experientiam fragranti, non unis in locis propiores, imo unitiſſimi, & quo profundiorem ſeriis conſcientiis ſuppeditant informationem & directionem. Utinam v. ſic in ſtudio & praxi paſſim plus regnarent, valerent, imo omnibus ſemet ad eos quidem obligantibus ſaltem noti, ſi non ex aſſe perſpecti eſſent!

CAPUT SECUNDUM

Quid Pontificii & Calviniani LL. Symbolicis opponant, expendit.

§. 1.

NEc pluribus impar eſt Liber Concordiæ! Vix numerare valeas, quot & quanto fere agmine in LL. Symbolicos irruerint, qui nec ipſis, nec ipſorum ſcopo ſatis bene cupiebant. Nec Liber, nec ipſi Conſcriptores manſerunt intacti. Dicacem Stylum, & mordacem linguam in ipſos nemo non certatim acuit. Vix, imo non eſt paragraphus, qui non peculiarem hoſtis, ſibi inſul-

inſultantis, impetum expertus ſit, ſed &, quod mireris, repercuſſerit. Periculo virium toties facto perſtat Liber etiamnum inconcuſſus. Repreſſi ſunt Invaſores! Confuſi ſunt oſores ac momi! Quis non amet Librum tot Victoriis clarum? Plures ſane oculos numerat ac ſubiit cenſorios, quam periodos!

§. 2. Dicteria in ipſos & autores & Libros vibrata; ſcommata effuſa; cognomina per vilipendium data; crimina imputata; libellis ac verſibus famoſis proſcriſſi; deriſum expoſiti; & quid non ab adverſariis undequaquam circumfuſis attentatum? Torgenſis Liber! Bergenſis Libellus! Nova Confeſſio! Bergenſia Collectanea! Notula Concordiæ! Torgenſe Convolut & magnum volumen! Nova Religionis Formula! Diſcordiæ Liber! Concordia diſcors! Anguis in herba! Materia Litis perpetua! Zanck-Eiſen! Hader-Buch! Pandora Vulcanea! Chimæra Ubiquiſtica! Sphynx Bergenſis! Pandora Saxonica! Lernæ errorum & paradoxorum! Suevicum Scriptum! Volumen toties mutatum! Pandora Bergenſis! Pandora κατ' ἐξοχὴν! Alterum Interim! Diſputabile Opus! Meræ monſtroſæ Confuſiones! &c. Sic Liber audiit! Auctores vero, viri inſtinctu Diaboli agitati, artifices diſcordiæ, vid. Hoſpiniani Concordiam Diſcordem. p. 124. 125. 186. 194. 204. 207. 228. 229. 232. 205. 207. 235. 244. 266. 300. 325. 342. Contra Omnem Neceſſitatem

Con-

Conturbat Omnem Rempublicam Doctor Jacobus Andreæ! item:

R. habet Auſonium Liber hic (R. *Er.*) habet Rq́; Pelasgum (*Pro*)
R. habet Ebræum (ר *Res*) prætereaque nihil.

En ſarcasmos! En cavilla! quæ omnia ſuis remittuntur autoribus, coram judicio Domini hactenus collocatis, cui vel ceciderunt, vel ſtant.

§. 3. Vix lucem LL. Symbolici viderant, cum ex omni quaſi angulo in ipſos incurſum, & ab aliis alia vel reprehenſa vel deſiderata ſunt. Prout quisque vel genio agebatur, vel partium ſtudio litabat, ſic in Libros iſtos affectum prodidit. Huc faciunt Scripta eorum temporum Hiſtorico-Eccleſiaſtica & polemica. Scilicet Apologia Libri Concordiæ, it. Selnecceri Recitationes de F. C. Andreæ Conciones, Defenſio & Vindiciæ Pupillæ Saxonicorum Theologorum, & Hutteri Concordia Concors ex noſtra parte; Ex adverſariis vero Scripta Anhaltinorum, Neoſtadienſium, Bremenſium &c. Lege! Confer! Et judica; Et ſatisfactum eſſe iis, quibus & in quibus ſatisfieri oportebat, mecum lætare, Deumque in Veritatis ſuæ teſtibus lauda!

§. 4. Nondum abierat ſextus, ex quo LL. Symbolici publici juris facti erant, annus, ecce! prodit liber a Roberto Bellarmino & Petro Hanſonio confectus, & anno 1586. In-

golſtadii excuſus, qui Libris Symbolicis objicit, imputat ac tribuit α) 15. ſtultitias, temeritates & vanitates. β) 6. errores ac hæreſes capitales. γ) 100 mendacia & crimina falſi; imo mendaciorum, futilitatum, nugarum, ineptiarum, hæreſeων & errorum inibi obviorum numerum eſſe innumerum, non veretur toti Chriſtianiſmo perſuaſum ire. Verum enim vero Spiritu veritatis ac virtutis induti Noſtrates, mordaces iſtos inſultus ſub umbone Domini, fiducia bonæ cauſæ accincti, fortiter repreſſerunt, ac, ut quidem opinor, feliciter ſubegerunt; nedum enim uno ſaltem anno expleto diem felici ſidere aſpexit vera & ſolida Refutatio convitiorum & calumniarum, &c. Bellarmini & Hanſonii contra Librum Concordiæ; à Theologis Tubingenſibus conſcripta, & Tubingæ anno 1587. impreſſa. Quo Scripto in fumos agitur primum ἔγκλημα à p. 1-26. Secundum à p. 27-60. Tertium à p. 60. usque ad finem. Et vix porro quicquam objicient, cui inibi non ſit abunde obviatum. Sic mendacium nunquam ſuperabit Veritatem, Tenebræve Lucem.

§. 5. Jeſuitarum ἐγκλήματα, quæ in Aug. Confeſſ. &c. ediderunt, in ſuccinctum redegit compendium D. Abrah. Calovius in Critico ſuo Sacro, ſeu Commentario Apodictico-Elenchtico in Aug. Confeſſ. eademque ſimul opera excuſſit à p. 50-68. Poſtulant ſcilicet A. C. & ſocios A. C. 1.) Novitatis.

2.)

2.) Fraudis. 3.) Imperfectionis. 4.) Contradictionis. 5.) Falſitatis. 6.) Hæreſeos & erroris. 7.) Particularitatis. 8.) Mutationis. 9.) Interitus totalis. 10.) Defectionis ab A. C. Vindicias & Aug. Conf. ipſius, & Eccleſiæ ipſi addictæ, exhibet idem Theologus Regiomontanus. Exſcribere nolo. Rectiora ignoro. Vicennium abiit, quod Germanico quodam ſcripto, Leopoldi Kollonitſchii Comitis Epiſcopique Romanenſis Auguſtanam & Anti-Auguſtanam Confeſſionem refutavit D. Val. Alberti, Theologus Lipſienſis, ubi & imputatas A. C. immutationes diſcutit, & ſocios A. C. ab impacta ipſis A. C. derelictione apoſtatica liberat, multosq; ſcrupulos & contraria dirimit, circa A. C. & F. C. agitari ſolitas; atque hoc ipſo nomine hic commendandus erat, utpote qui plurima huc facientia exhibet, v. c. p. 4. §. 5. (b) de Hermanno Thyræo Pontificio, qui 6000. dubia collegerit de Conf. Auguſt. & 2000. irregularitatum, it p. 10. §. 16. p. 20. §. 18. 19. 20. p. 22. §. 5. p. 61-72. 99. 100.

§. 6. Idem Calovius quoque potiora, quæ Calviniani objiciunt, ad generalem quidem, nervoſam tamen etiam decadem revocavit; ait enim, opponunt 1.) A. C. eſſe ſcriptam annis haud ita multis poſt Reformationis initium, in quo non tam ſubito omnia recte perſpici & explicari potuerunt. 2.) Paucorum Theologorum conſilio. 3.) In feſtinatione & temporis anguſtia, Auguſtæ in diverſorio,

verſorio, in Comitiis urgente Imperatoris poſtulatione, & calumniis improbiſſimorum Pontificiorum; adeoque 4.) in maximo præſentium periculorum metu, unde ſtudium fuerit Confeſſionis autoribus, omnia Papatus ulcera & idolomaniam quam parciſſime & leniſſime attingere; ac proinde 5.) omiſſos eſſe multos articulos, qui odioſi erant, & illos tantum è controverſis poſitos, quos neque Imperator acriter tuebatur, & quorum cordatiores etiam inter adverſarios pudebat. 6.) Scriptam eſſe cum conditione plura addendi, obſcura declarandi. 7.) illos ipſos, qui A. C. ſcripſerint, approbarint ac ederint, aliqua ſubinde correxiſſe, addidiſſe, declaraſſe. 8.) Eſſe quædam in A. C. quæ ne acerrimi quidem ejus propugnatores probent, qualia ſint art. 10. edit. Germ. Transſubſtantiationem reſipiens, & tertium abuſum, Miſſam, probans. 9.) Multos, qui ipſam profiteantur, multa in ea non accipere, vel declarare eodem ſenſu, uti conſtet de Libero Arbitrio & Cœna. 10.) ad tempus ſcriptam eſſe, & tantum ad deliberandum. Sed & hæc omnia annihilat; Aug. vero Conf. & LL. Symb. vindicat à p. 68-78. nec is ſum, qui aptius quicquam adjicere valeam.

§. 7. Generaliori Summæ objectiones, quibus Calviniani LL. Symbolicos impugnant ac exagitant, incluſit, ac inſimul exenteravit magnus F. C. Hyperaſpiſtes, D. Hutter in Commentario ſuper F. C. à p. 16-36. ubi refert,

refert, quod omnes Oppoſitiones Calvinianorum contra F. C. feriant vel 1.) proceſſum in conſcribendo obſervatum, & perſonas ſuam operam in hoc ſcripto perficiendo navantes; vel 2.) finem conſcripti & publicati Libri, vel 3.) anathematiſmos ſive damnatorias ſententias, quibus F. C. in rejiciendis erroribus utitur; quibus Idem per Claſſes l. c. occurrit; nec tanti ſunt momenti, ut, qui LL. Symb. probe perluſtravit ipſe, & Hiſtoriam F. C. vel mediocriter inſpexit, inde ſaltem aliquid ſcrupuli dubiive pati queat.

§. 8. Supereſſene putas, qui quidquam deſiderent ultra? Sane multi multa! Sed quo conatu? Pari, quo alii, h. e. irrito! Anteſignanum producam, ſpiſſo fere, quod agit, agentem opere! Hoſpinianum puto, Ejusque Concordiam Diſcordem! Exhibet is, quæ omnes ferme olim, quæque recentiores etiamnum hodie proferre aſſolent, quando LL. Symb. laceſſunt aut gravatum eunt. Excerpam dubia, monita, querelas, incuſationes, animadverſiones ac cenſuras in variis adverſæ partis, ab Ipſo prolatis, documentis paſſim ſparſimque obvias. Omitto autem, ſaltem parciſſime, ac vix adduco ea, quæ, qua meri & proprie Calviniani ſunt, objiciunt, ut in quibus propriis ipſorum hypotheſibus, quod ſe LL. noſtris Eccleſiaſticis opponant, quis neſcit? audiamus poſtulata numero complura:

§. 9. Sic autem ſuam agunt cauſam (quam in

Digitized by Google

in conſpectu quodam univerſali apponam) inſtant & urgent:

1. Autores Formulæ Bergenſis Adverſariis (Papæis) gladium ſemet jugulandi præbent, dum fatentur p. 629. f. defeciſſe quosdam ab Articulis A. C. maximi ponderis.

2. Vocem *non mutata* A. Confeſſioni p. 633. addunt, cum tamen Principes ac Electores Naumburgi eam, quæ An. 40. & 42. copioſius ex Scripturis declarata, ac Witebergæ edita eſt, tanquam æque authenticum Scriptum, Lutheroque adhuc vivente, etiam in Colloquio Wormatienſi contra Eccium defenderint approbarintque, ac priores eas, quæ An. 30. Imperatori Carolo tradita, & quæ An. 41. Witebergæ excuſa.

3. P. 634. f. proteſtantur, corpus hoc ſuum Doctrinæ ex Scriptis publico nomine editis, & ab Eccleſia approbatis, tantum confici debere; poſtea vero omnia Lutheri Scripta, privata quoque, pro Regula decernuntur, ad quam proximè à Scriptura, tanquam noſtra Symbola componenda certamina. Hinc etiam Catechiſmus Major, non publico, ſed privato Lutheri nomine editus, reliquis Scriptis Lutheri annumerandus, non autem, tanquam communis Eccleſiarum Conſenſus citandus. Cavendum, ne Lutheri Scriptis haud ſecus quam captivitate Babylonica conſtringamur.

4. Clauſula p. 635. annexa non ſufficit Scandalo, quod ex fabricatione novi Corporis

ris Doctrinæ, ac ex veteris Corporis aut abrogatione, aut ſaltem improbatione, in piorum animis exortum, nec etiam Adverſariorum calumniis avertendis. Multis enim annis Corpore Doctrinæ, tanquam Chriſtiano, Eccleſiarum Evangelicarum, & Propheticis ac Apoſtolicis Scriptis conſentiente, conſenſu uſi erant, cui ea Scripta inſerta fuerunt, quorum in Formula Torgenſi ne uno quidem verbo fit mentio.

5. Sic Melanchthon & Scripta ejus abrogata, ſuſpecta reddita, &c. ex quibus tamen tot animæ ſalutariter inſtitutæ, & quæ tamen Lutherus ipſe tanti fecerat, imo ſex illi Theologi quoque ipſi; (Chemnitius, Selneccerus, Chytræus, Cornerus, Muſculus, Andreæ, Libri Concordiæ Autores.

6. Præſtaret in Antitheſibus mitiori aliquo ac leniori vocabulo uti, quam toties repetere durum illud forenſe ac vehemens *condemnandi* Verbum, aliasque multas odioſas voces, quibus animi exaſperantur, Concordiæ ſcopus ſufflaminatur, infirmi offenduntur ac deterrentur, Scripturæ S. expreſſiſſimè contravenitur, Matth. c. 7. Rom. 14, 1. Cor. 10, 12. certe odioſæ iſtæ condemnationes impediunt firme ineundam & prætenſam Concordiam.

7. In articulo ſeptimo ſcripſerant Torgenſes: Theodoretum ſuum errorem, cum aliquoties in Synodis damnatus eſſet, nunquam revocaſſe, quod cum ipſis notorie falſum à Cenſoribus Haſſiacis apud Hoſpinianum c.

12. p. 107. demonſtraretur, omiſerunt in Formula (quam nunc habemus) Bergenſi, ubi in hoc Articulo nulla Theodoreti mentio, quem tamen in Formula Torgenſi ſæpe allegaverant. En quales, quamque infallibiles Formulæ Conc. Autores!

8. Naturam Divinam Humanitati omnes ſuas proprietates ſic communicare, ut eas etiam per ſe, ex ſe, & ſecundum Humanitatem habeat, & tamen absque transfuſione Proprietatum ac exæquatione Naturarum; item, Humanam Naturam Chriſti omnipræſentem, quidam Haſſiacorum Theologorum, ſe capere non poſſe, cum monerent, autores Form. Torgenſis hic locum videntur dediſſe cenſuræ, quia phraſes jam in Form. Bergenſi non apparent. En quot σφάλματα annotata olim! Nullane ſuperfuerint omnino?

9. Cum tantam copiam teſtimoniorum in art. de Cœna ex Patribus adduxerint, fuerunt, qui veriti ſunt, fore, ut videantur, Sacrarum literarum teſtimonio prorſus deſtituti. Hanc etiam theſin; Sacramenta ſunt res ſpirituales, copioſius fuiſſe explicandam judicarunt.

10. Alii in artic. de prædeſtinatione ſpecialiora deſiderarunt.

11. Non expreſſerant ſe Torgenſes, quamnam pro genuina & vera Auguſt. Conf. agnoſcant? Correxerunt ſe Bergenſes p. 633. En quam monendi fuerint!

12. Lutheri autoritas & Patrum teſtimonia tantum

tantum narrative, non probative, alleganda erant. Non debebat F. C. controverſias ex Patrum teſtimoniis, multo minus ex Lutheri decidere.

13. Artic. de Libero Arbitrio nimis copioſe tractatus eſt.

14. In art. de Juſtificatione coram DEO pugnatur contra Papiſtas, cum tamen in titulo dicatur, tantum agi de Statibus Auguſt.Conf.; hac autem ratione Papiſtæ &c. pro ſociis Aug. Conf. habendi fuerint.

15. In art. de Bonis Operibus dicta Scripturæ integra, & ad verbum recitari debebant. Correxerunt hoc Bergenſes quoque, v. F. Conc. p. 700. ſeqq. ad verbum exprimendo teſtimonia Biblica.

16. Artic. de Lege & Evangelio vix eſt quid ultra λογομαχίαν.

17. Artic. de Cœna plurimas habet inuſitatas & peregrinas loquendi formas, quæ nec in Scriptura, nec in A. C. inveniuntur, v. c. panem & vinum per Verbum eſſe corpus Chriſti & ſanguinem. It. Similitudines Lutheri de Cœna commoda explicatione indigent.

18. Artic. de Perſona Chriſti multas continet inconvenientes phraſes; τὸ Realiter pro concreto. Vox mixtio periculoſa, impura. Similitudo de ferro candenti rejicienda.

19. Artic. de deſcenſu Chriſti aut omittendus, aut clarius erat exponendus.

20. Vocabula Subſtantiæ & Accidentis vitanda fuiſſent, quia ſecum pugnant.

21. Lex eſt Pædagogus in Chriſtum, Gal. 3, 24. in Form. Conc. exponitur cum Philippo de diſciplina externa, cum tamen Lutherus exponat de ſpirituali Legis uſu, & quidem rectiſſime, quia cum ſenſu Spiritus convenienter.

22. Omitti debebant, poterant, vocabula Scholaſtica: Subjective, formaliter, habitualiter. Res commode exponi poteſt ſine iſtarum vocum adminiculo, quæ novas fere pariunt contentiones. Quotusquisque enim etiam Paſtorum, &c. illa obſcura intelligit? Beza talibus tendiculis inſidiatus eſt ſimplicioribus, & inſidioſe alios ad tales ſordes pertraxit, invitavit.

23. Theſes & Antitheſes in breves articulos & canones, ſeu propoſitiones contrahi, & vel à principio cujusque articuli, vel ad marginem poni debuiſſent, potuiſſent, in gratiam Lectorum ac Paſtorum, qui conciones &c. ad illa dirigere poterant.

24. Satius fuiſſet, unam tantum editionem, præſertim Jenenſem, in citatione Tomorum Lutheri retinere.

25. Sæpe mirabiles phraſes & ſimilitudines ex Patribus allegantur, potius offendentes, quam erudientes; atque ſic res non ex verbo Dei, ſed ex Scriptis humanis probatur. Tutiſſime ſolis Scripturæ verbis inſtitiſſent; Nota bene, etiam hoc in artic. de Perſona Chriſti, ubi teſtimonia ex Luthero, cum tamen errantes ex verbo DEI convinci debeant.

26. Sexto,

26. Sexto, recitatus Schvvenkfeldii error melius fuiſſet declarandus; in vera enim Eccleſia clavis ligans etiam in uſu eſſe debet; nonnihil juvit Form. Bergenſis p.829. ſed non prorſus.

27. Licet omnia vera eſſent in Lib. Conc. tamen iſta incommoda prolixitas, (& in ſpecie tavtologica illa Epitome poterat omitti) in Eccleſia inuſitata, inutilis, & veteribus Symbolis, Canonibus Conciliorum, etiamque Aug. Confeſſioni contraria eſt.

28. Antitheſes ſæpe in Saxonicis Eccleſiis nunquam auditas concluſiones habent; quædam hæreſes cum autore interierant. Malum bene poſitum denuo non erat movendum.

29. Res apud Pontificios offendiculi plena erat, in Proteſtantium Conciliationibus invenire, eos intra 47. annorum ſpatium in 100. Sectas ſciſſos eſſe. En ſuam turpitudinem ſuo probro revelabant; infirmi offendebantur; hoſtes exaſperabantur.

30. Si concordia Saxonicarum Eccleſiarum tantum quærebatur, cur mentio facta Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Manichæorum, Anabaptiſtarum, Antinomorum, Sacramentariorum, Schvvenkfeldianorum, &c. quid ad Saxoniam, qui foris ſunt?

31. Artic. de Perſona Chriſti male poſtremo ferme loco poſitus eſt.

32. Multæ Antitheſes finguntur, de quibus forte nemo cogitavit ſaltem; ſtudio nimis cumulantur.

33. Antitheſi vehementes exaggerationes inſunt, ut & multa, infamiam redolentia, epitheta.

34. Exteræ Eccleſiæ, Anglorum, Scotorum, Belgarum, Helvetiorum, Gallorum, &c. tum temporis nondum auditæ, condemnantur.

35. Liber ſubſcribendus fuit, antequam in libera Synodo examinatus aut approbatus eſſet. Nec generalis Synodus convocata, quanquam petebatur à Brandeburgicis Theologis &c. qui locum de Perſona Chriſti innovatum, obſcure explicatum, ſibi quoque non intelligibilem, graviter conqueſti ſunt.

36. Multi loci non tractati, ex quibus non minus errores oriri poſſunt, quam ex illis XI. aut XII. Unde igitur omiſſorum Locorum, articulorumqne explicatio petenda? inſeratur Philippi Corpus Doctrinæ!

37. Locus de aſcenſione Chriſti forſan melius, quam articulus de deſcenſu Chriſti poſitus eſſet, cum hunc nonnulli in meras allegorias convertant.

38. Diſcrimen inter Libros Lutheri fuiſſet faciendum.

39. Selneccerus ipſe cauſas & rationes oſtendit, ob quas forma loquendi de reali communicatione idiomatum non ſit utendum; quî ſibi conveniunt Bergenſes Patres?

40. Compoſitas, ſopitas, ac extinctas lites, ab orco potius revocatas, quam conciliatas eſſe, eventus ſtatim docuit.

41. Liber Concordiæ Eccleſias Reformatas Pontificiis proſtituit.

42. Nulla

42. Nulla ſolida ratione probari poteſt, omnes iſtas corruptelas, quæ inibi confutatæ audiunt, unquam publice exortas fuiſſe inter Proteſtantes, qui in F. C. p. 616. Titulo inſinuantur.

43. Dum ex & per F. C. Corpus Doctrinæ Philippi expunctum fuit, videri potuit ac viſum eſt, quaſi Eccleſiæ hactenus non habuerint veram & orthodoxam doctrinam, in qua tamen multa hominum millia perſecutiones, mortemque pertulerunt, piâque vita defuncti ſunt.

44. F. C. conatur Lutherum, & Ejus ſcripta *canonizare*, ſive in canonis dignitatem evehere; cum tamen Illius ſcripta cum judicio ac διακρίσει ſint legenda, tantum abeſt, ut pro canone ſeu Norma regulaque doctrinæ Chriſtianæ habenda; niſi velint ſocii *A.* C. uni Luthero, ut Franciſcani ſuo Franciſco, addicti eſſe, inque omnia Ejus verba & ſcripta jurare.

45. Dubitari poteſt, an Status Controverſiæ in art. de Cœna & Perſona Chriſti, bona fide ſit expreſſus ac declaratus.

46. Hi, qui tamen in omnibus fere reliquis articulis cum *A*ug. Confeſſ. & Proteſtantibus idem ſentiunt, communique opera Papatum oppugnant, Pontificiis tanquam victimæ hæreticæ, nec *A.* C. addictæ, permittuntur, ac immolantur inibi, quantum quidem penes ipſos F. C. autores.

47. Per indirectum Brentiana &c. quoque canonizantur, & Eccleſiæ obtruduntur.

Digitized by Google

48. Liber Bergenſis ob odia mutua curſum Evangelii impedivit, impeditque valde.

49. Status controverſiæ de Libero *A*rbitrio perverſus videtur Nerobergenſibus tum temporis.

50. *A* Symbolis Oecumenicorum Conciliorum in *A*rticulo de Perſona Chriſti, de *A*ſcenſione ac Seſſione ad Dextram, diverſa eſt declaratio in Libro Bergenſi.

51. Tempore *A*. C. & *A*rt. Smalc. v. LL. Symb. p. 303. ſ. conſenſus erat inter proteſtantes & Pontificios de Perſona Chriſti; de *A*ſcenſione & Seſſione ad Dextram; Et nunc (quin imo jam tunc quoque in tempore ſubſecuto) vi F. C. non amplius à ſua, tum temporis habita, doctrina, receſſiſſe probari nequit; *A*n nihilominus ſalva *A*. C. doctrina de Chriſto? Quis in culpa? Unde? Per *A*. C. & p. 303. Pontificii recte nobiſcum de Chriſto ſentiunt, per F. C. non; Pontificii dogma ſuum hucusque (videlicet usque ad tempora F. C.) retinuerunt. Quis ergo aut receſſit, aut novum ſenſum affinxit: Difficilis conciliatio, ut tamen Bergenſis Formula ſeceſſionis ab *A*. C. non ſit accuſanda, rea!

52. *A*rt. de *A*ſcenſione Chriſti altiſſimo ſilentio præteritus eſt.

53. Si F. C. eſt norma publica, Lutheri &c. ſcripta, utpote privata, potius juxta hunc Librum erunt intelligenda, quam hic juxta illa; Sic enim novo ibi erit opus Oedipo.

54. Partium ſtudium etiam in *A*ntitheſibus

ſe

ſe prodit; in articulis enim Flacianos ſpectantibus decenti moderatoque ſtylo plus uſi ſunt, quam in aliis.

55. De Chriſto periculoſas, nec in Verbo DEI fundatas, quin paradoxas Locutiones inibi habent. Præſtitiſſet omnem de hiſce imperſcrutabilibus Myſteriis ſic diſputandi & inquirendi rationem ſerio prohibere, & abrogare.

56. Cur non explicant, qua autoritate, aut à quibus, aut quo modo fuerit Liber hic compoſitus, ſubſcriptus & publicatus? Et tamen magiſterialiter ſatis in eo tum deciſiones ſuas, tum aliorum condemnationes concipiunt & pronunciant. Ubi libera legitimaque Synodus? *A*n hæc, qua illi uſi, eſt in Eccleſia DEI Chriſtiana & uſitata agendi ratio, modus? *A*n Conſcriptores communi alicujus Synodi conſenſu ad id electi, vocati, approbati?

57. Conſilium DEI circa Reprobationem, ut & hanc ipſam non exponunt in Loco de prædeſtinatione.

58. Genius autorum cognoſci poteſt, ſi phraſes ac tituli, quibus & homines & doctrinas, ab ipſis diverſum ſentientes, inſigniunt, nominantque, attenduntur coram DEO juxta methodum praxinque Chriſti & *A*poſtolorum.

59. Partium ſtudio nimis ubique indultum; Status controverſiarum ſæpe videntur vacillare; Deum enim & homines ſæpe teſtantur ii, quos ferit illorum antitheſis, ſe longiſſime à ſententia, quæ ipſis imputatur, abeſſe.

60. Nec A. C. nec Apologia de orali corporisChriſti manducatione ullam mentionem continent; quî tamen F. C. illam prætendere audet? Nec Majeſtatem corporis Chriſti Ubiquiſticam, aut realem communicationem proprietatum eſſentialium Divinæ Naturæ in humanam.

61. A. C. & Apologia non ſunt conſcriptæ, ut eſſent fidei regula ac fundamentum quoddam, ſed defenſiones adverſus calumnias Pontificiorum.

62. Sæpe nullum, ſaltem haud juſte clarum, ex A. C. & Apol. habet Formula Conc. ſuarum deciſionum fundamentum, quo alios tanquam hæreticos aut apoſtatas ab A. C. & Apol. quos damnat, convincere poſſit.

63. Cum & A. C. & Apol. adeo varie ab illis ipſis exponantur, à quibus conſcriptæ, neutra vel poteſt vel debet pro certa fidei regula & norma aut præſcribi aut agnoſci, ex qua omnia decidenda, ſed ſubjicienda utraque examini verbi Dei, ut ſecundum illud in Oecumenico, Sancto ac legitimo Conventu aliquo de illis judicium fiat.

64. Nonne Philippini Nominis in tota F. C. fere ſuppreſſio veſtigium eſt ſummæ in communem Parentem ingratitudinis, & malevolæ cujusdam vel in mortuum invidiæ? Nonne A. C. & Apol. cujus autoritatem F. C. tantopere urget, conſcribendæ, præcipuam Philippus navavit operam, & ideo doctrinæ inibi comprehenſæ certiorem habuit cognitionem,

tionem, quam omnes alii, cur ergo prætermiſſus, naucique habitus?

65. Cur Bergenſes Synodum diſſuaſerunt contra A. C. placita, quæ uſum, neceſſitatem, utilitatem ac autoritatem Synodorum in Epilogo commendat, vid. A. C. in Corp. Doctr. Philippi, p. m. 24. 25. an timuerunt Libro, an cauſæ ſuæ?

66. Dogmata quædam & errorum damnationes cum libris, qui normæ loco ponuntur, pugnant. Sic Formula Conc. multa adſcribit Aug. Confeſſioni, quæ in hac non habentur.

67. A. C. &c. etiam perſonas damnat, v. c. Pelagianos, Manichæos, Donatiſtas, Wicleſitas, annon tutius, ſi non! Annon falſas doctrinas improbaſſe ſatis eſt, perſonas, Domino aut ſtantes aut latentes, relinquendas commendat Scriptura? Annon ne quidem de notorie impiis ſecus, quam in amore & meliorum ſpe cenſendum, ſtatuendum?

68. Multa dogmata in F. C. rejiciuntur, quæ adhuc ſunt dubia, nunquam legitime damnata.

69. Nec ubivis ſparſa, unde nec omnes Eccleſiæ iisdem perturbandæ erant.

70. Major & Minor Catechiſmi Lutheri ſibi invicem contradicunt; in Minori exorciſmus improbatur.

71. In art. de P. O. Formula Conc. dicit: quod natura hominis ſit bona ac integra; A. C. autem hanc doctrinam, tanquam Pelagianam improbat, quin damnat.

72. A. C. pro fundamento præſentiæ cor-

poris Chriſti ponit verba Inſtitutionis; F. C. vero realem communicationem idiomatum & omnipræſentiam corporis Chriſti; quod tamen Lutherus in negotio cœnæ improbavit.

73. Form. Conc. Autores anno 1579. 28. Octobr. Wilhelmo, Haſſiæ Landgravio, dixerunt: Hæc verba in Conc. Libro expreſſe leguntur: Chriſtum divina ſua omnipotentia corpore ſuo, quod collocavit ad dextram Majeſtatis & Potentiæ Dei, præſentem eſſe poſſe, ubicunque voluerit, præſertim vero ibi, ubi præſentiam ſuam, ut in cœna, in verbo ſuo promiſit; Hoc facile poteſt Ejus omnipotentia & ſapientia efficere, ſine mutatione aut deſtructione Humanæ Naturæ. Atqui iſta tum temporis à Chemnitio & Andreæ citata verba jam exulant in hodiernâ F. C.? quis exemit? quando? cur? Ubi exemplaria authentica & quænam? Annon diſcrepant exemplaria? Hocne veritatis & candoris argumentum veſtigiumve?

74. Catechiſmus major non ut in Tomis Lutheri, ſed truncatus & depravatus exſtat in F. C.

75. Hiſtoria & occaſio certaminis adiaphoriſtici ex Interim prognata, non eſt allegata, quod ob juniores & poſteros, talium ignaros, pernecesſarium fuiſſet. Ecce Tibi Syllabum quendam deſideriorum & gravaminum, quoad maximam partem duntaxat vel à Calvinianis, vel certe Calvinianiſmo propinquis &c. Principibus, Statibus, Civitatibus ac Theolo-

gis

gis contra LL. Symbol. in toto Hoſpinianeo Opere, quod Concordiam diſcordem inſcripſit, productorum non nihil forſitan ſpecialem!

Reſponſio ad Numeros.

§. 10. Reſpondeo paucis, & per Claſſes. *Claſſis I.* Numeri 7, 8, 11, 13, 15, 26, 27. adeo non premunt noſtram Conc. Formulam, ut eandem, quo nunc apparet vultu, potius commendent. (*VII.*) (*VIII. XV.*) Nec moneri, monendum eſſe, aut juſto monitori (*XI.*) locum dare, dedecori eſſe poteſt vel ipſis Theologis. Idcirco enim cenſuræ petitæ ſunt. vid. præf. F. Conc. Nec vitio verti debebat plenior intricatæ, neceſſariæque rei evolutio; aut prolixioris ſcripti in amœnum compendium redactio. (*XIII.*) Quid in Schvvenkfeldii ſexto erroneo articulo recenſito etiamnum deſit, exprimendum fuerat. (*XXVII.*) (*XXVI.*)

Reſpond. ad Numeros.

§. 11. *Claſſis II.* Numeri 1, 2, 9, 14, 22, 27, 28, 29, 30, 35, 36, 41, 42, 46, 52, 57, 59, 61, 64, 69, 73, 74. non inferunt ſolidam ac legitimam concluſionem, & ab eo, de quo potiſſimum ac præcipue quæritur, in aliena divagantur. Manifeſtando quippe eos, qui deſciverant aut alieni erant, ſemetipſos omnino purgarunt; (*I.*) nec fecerunt hic quicquam Noſtrates, quod non antea Papæis, de quibusdam ſatis cognitum fuerat; an vero luat pœnam transfugæ, qui vexillo conſtanter adhæret?

Mutatio A. C. eſt res aperti facti, quod (*II.*) particu-

particularis Uſurpatio non perimit, nec eadem comuni Proteſtantium Eccleſiæ primam Aug. Confeſſionem unice amplectendi, jus auferre poteſt. Quid quod non nihil verſuti ſubdolique ſtatim etiam in illo Congreſſu Numburgenſi animadverſum ſit? v. præf. F. C. generalem §. Porro quod ad. & Iſagogen Carpzovii in LL. Eccleſiæ Luth. Symbol. p. 17. 22. 23. Semper ſudes in Calvinianorum oculis fuit τὸ *Non-mutata ſola illa prima, ſincera & immota!* Quid ſubeſt? quis ignorat?

Non ſequitur: in diſputatione κατ' ἄνθρωπον, & in amolienda, quæ imputabatur, novitate allegantur Patres. E. Biblica fundamenta deficiunt? Et ſane, ſi conferas præſentem noſtram Conc. Formulam, ſponte ſua iſtud poſtulatum corruet; nec enim humanis ibi adeo certatur teſtimoniis, quam mere Divinis; tantum abeſt, ut de tanta Teſtimoniorum ex Patribus inibi obviorum copia, jure quis queat ſeu debeat conqueri! (*IX.*)

Scopus utique F. C. principalis fuit controverſiarum inter ſuos obortarum deciſio; qua tamen occaſione etiam aliorum, v. c. Papiſtarum, errores, quin altius & plenius ſimul excuteret, ſibi facultatem nunquam ademit vel negavit. Liberalis labor gratis potius accipiendus erat manibus. Et ubinam titulus vel textus quiſpiam quæſtionum diſcuſſionem tantum ad ſtatus ac Socios A. C. reſtrinxit? (*XIV.*)

Brevitatis ac docendi cauſa iſtis ter- (*XXII.*) minis

minis uſa eſt Conc. Formula. Non figit ſimplicioribus crucem, nec Legem ſerviliter obligantem. Paſtores tenentur operam dare, ut intelligant etiam iſta, cum quoque ſint ſecus ſentientium quandoque latibula. Patrum & Scholarum ſermonem F. C. explanatum ivit! Propter eos, quibuscum agebatur, & colluctabantur, in iſtam arenam (i. e. philoſophicum ſ. metaphyſicum potius dicendi genus) deſcendendum fuit. Nec cohærent iſta: Sine hoc aliquid fieri ac doceri poteſt ſuo modo, & penes aliquos certosque homines: Ergo, prorſus ubique, & in univerſum neceſſario ab ipſo abſtinendum eſt. Alias enim, ſi extra hos fines fuiſſet F. C. utique omitti potuiſſe, non abnuet quisquam. Vindicat ſeipſam Formula Conc. in præf. gener. §. quod vero ad phraſes.

Diſpares caſus, diſpares ſcopi, diſpar ætas, diſpares adverſarii, diſpares luctæ morbique, utique etiam diſparem tractandi, pugnandi ac medendi modum depoſcunt, ſecumque ferunt. (*XXVII.*) Complures controverſiæ dirimendæ ae dijudicandæ prolixiorem certe quoque deductionem exegerunt. Et monſtrentur quæſo vera iſta incommoda, ex liberali illa & larga materiarum pertractatione per ſe reſultantia! quid quod jucunditas quædam Lectori ſedulo inde contingat? Non vacat ſemper, nec forte volupe eſt, extenſiorem legendi Catechiſmum à p. 390. - 569. aut planam controverſiarum Declarationem à p. 628. - 830? En! minor Catechiſmus à p. 359. - 389.

389. brevisque Epitome à p. 570.-627. talia tamen legendi ſitim abunde reſtinguere poterunt; ſimplices prolixior, doctiores nervoſior diſputandi modus juvat, afficit; quod ipſum non plane non delectat, nec uſu ſuo bono caret. Num denique antiquitas poſteritati quoad modum ſummamque talium Scriptionum univerſale quoddam ac abſolutum præceptum præſcripſit, exemplarve dereliquit?

Sufficiebat, forſan aliquando audi- (*XXIX.*) tum iri? Præveniendum fuit! quis certus fuit de futuro? Suos præmunitum ivit Formula! Et an nihil improbandum, niſi quod jamdum inter omnes ubique percrebuit? Et an, quia in Eccleſiis forte quædam concluſiones non erant auditæ, etiam aliâs inter Saxones nullibi? Anne Formula Conc. ſaltem Liber pro Saxonia? Annon poteſt error, licet nondum quidem enatus, per prudentiam tamen ſagacis animi eminus quaſi prævideri? Annon fas, jus, imo officium fidelitatis & amoris poſtulat, ſuos, quin quoque poſteros, per maturam quandam occupationem monere, & circumſepire? An hæreſes, ac erroneæ opiniones extinctæ, non poſſunt denuo incruſtari, ac in vitam quaſi revocari? Id profecto non movetur ac irritatur, cujus, ſi ſe moveat, annihilandi modus oſtenditur. Nonne non parum ſibi, qui errant, blandiri ſolent, ſuæque cauſæ patrocinium aliquod in eo quærere, ſi ex antiquitate, quod ſentiunt, rejectum jampridem eſſe, ipſis monſtrari forte, & ut ipſi quidem putant, nequeat. En juſtum

ac

ac utile eſſe, olim etiam demum metuendis poſſibilibusve erroribus, dudum antea, quantumque fieri poteſt maturrime, obniti. Sic tanto facilius in partu ſuffocabuntur.

Etiam Pontificii ſuos hactenus pa- (*XXIX.*) tiuntur manes. Si qui ſunt, qui ſciſſionibus iſtis offenduntur, non niſi, qui ſe ſcindunt, rei erunt offendiculi dati, & rationis reddendæ tenebuntur. Aſino clitellas! Non noſtrum hoc onus eſt! Nec Eccleſiæ imputari poteſt, quod quidam ſua culpa & ſponte ex Eccleſia illa egreſſi, commiſerunt. Maculam per ſe inde adſpergi poſſe Eccleſiæ, negatur; fata tamen ejusdem talia deplorantur! Ulcera corpori adnata, vel inde exeuntia, juſto ac ſincero dolore revelare, medicasque manus porrigere præſtat, quam mendaci hypocriſi diſſimulare ac incruſtare. Quid quod talia latere nequeant, præſertim lynceos noſtros ac ἐπιχαιρεκάκυς Obſervatores?

Non tantummodo Saxonicarum (*XXX.*) Eccleſiarum Concordia quærebatur, ſed omnium ubiq; γνησίως Evangelicarum. Meminit Formula illorum errorum, Sectarum ac hæreſεων, tanquam veneni cavendi, & contagionis vel eminus vitandæ. Qui foris ſunt, in tantum ad Eccleſiam attinet, ut attendat, ne vel ſua membra ad ipſos evocentur, & pellecta exeant, vel illi, qua tales, callide intrent. Cauſas intimiores, articulisque, quos tractat, propiores alias vid. in F. C. p. 609., 610, 622.-627. 824.-826.

Quid

Quid tum? Idne ipſi Veritati, aut (*XXXV.*) intrinſecæ Libri conſtitutioni, per ſe quicquam præjudicet? Satis Examinum expertus eſt & Cenſurarum, v. præfat. F. C. gener. §. Is poſtea Liber. ſeqq. Et quid Petitioni liberæ generalis Synodi ſuberat? An forte, qui abſentes calamo contradixerant, præſentes ore fuiſſent conſenſuri? Annon Conſenſus, qui ſucceſſive Libro inter ſinceros Lutheranos acceſſit, Synodi hactenus ſatis nos inter generalis vicem ſuppleverit? Satis eſt, qui ſubſcripſerunt, ſubſcriptum à ſe librum probe examinaſſe, examinatumque conſcientioſe approbaſſe.

Biblia & Conſcientiam, tanquam Cynoſuram juſſi erant, qui ad prælectionem, examinationem, approbationem ac Subſcriptionem in Saxonia convocabantur, unice attendere, reſpicere, ſequi ac ſecum ferre, fatente id vel ipſo Hoſpiniano in Conc. Diſc. c. 19. p. 183. Ante Subſcriptionem in Electoratu monebatur quisque: „ *Ne quis dubia aut contradicente conſcientia ſubſcribat!* Si autem cui de re aliqua dubium ſit, audacter id aperiat, ampliorem declarationem accipiat, ac inde rem omnem diligenti meditatione perpendat. „ conf. F. C. p. 830. f. & Refutat. Bellarm. & Hanſon. à Wurtemb. conſcripta p. 22.

Quid inde? Quis neſcit? Non (*XXXVI.*) fuit F. C. mens, omnia religionis capita, & adæquatum ſingulorum articulorum dogmatumque Syſtema Catalogumve nectere, ſed

tantum

tantum in ſumma profiteri illa, quæ tum temporis maxime controverſa & præcipua erant, & ex quibus de cæteris conſtare poſſet. v. LL. Symb. p. 44. 45. 830. f. D. Carpzov. Iſagog. p. 107. f. 762. Explicatio autem omiſſorum unde ſit petenda, reſpondit jam olim A. C. p. 46. ita: „ Si quid deſiderabitur, parati ſu-„ mus, *latiorem* informationem, Deo volente, „ *juxta Scripturas* exhibere. Et quamvis Philippi Corpus Doctrinæ inſeri poſſet, necdum tamen Pelagus foret, ex quo in omni caſu ſalutarem poſſemus haurire aquam. Omnia enim humana Scripta ſimul, nedum ſingula, hanc gloriam uno ore LIBRO ILLI exochico, Divino ſcilicet, vindicant, inque ſolidum concedunt. Quid quod vix, quantum quidem ego novi, obvenerit interim controverſia, quæ, ſi non plenam ac omnem, certe tamen aliquam & bonam, ſi non formalem, ſaltem virtualem, ſi non per πρώτως & κατὰ ῥητὸν, certe tamen per δευτέρως & κατὰ διάνοιαν, inibi reperire poterat deciſionem ac diacriſin.

Adeo non proſtituit F. C. Proteſtantes (*XLI.*) Papæis, dum inter ſuos ipſos exortas lites ac formulas definit, inque ordinem componit, ut eosdem ob enaſcentem inde terſam ſentiendi loquendique puritatem, & crepidines prurituí objectas, potius ipſis commendare poſſit. Et quæſo, num juſtus conſequentiæ nexus: Errores quorundam deteguntur, corriguntur, improbantur &c. E. totus cœtus hoſtium exponitur ac permittitur opprobrio?

Annon eſt confutandum, niſi quod (*XLII.*) publice exortum? Annon errores implicitos ac virtuales &c. explicare ac determinare licuerit? Annon, quod latet, in apricum producendum? Num gliſcentes igniculi fovendi, ſufflandi? Num, igne ac incendio jamdum dominante, demum aquis utendum?

Satis ſe defendit F. C. in præf. gener. (*XLVI.*) §. quamobrem hoc noſtro, &c. Apologia ſat gravis & ſeria, ac ſane nihil minus, quam hypocritica, aut facto contraria proteſtatio. Nec ſequitur: Diſceſſus quorumdam à ſenſu Aug. Conf. etiam Papæis per γνησίως Evangelicos in Form. Conc. manifeſtatur. E. manifeſtati trucidandi laniandique habentur, iisdemque extraduntur, aut proſcribuntur.

Quid tum? Num omnium articulo- (*LII.*) rum controverſorum, controvertive poſſibilium, pertractationem promiſit? Num tum temporis erat inter Noſtros de illo articulo etiam adeo expreſſa controverſia?

Explicant id ex vero & pleno in præ- (*LVI.*) fatione generali Electores, Principes & Ordines Imperii, quorum teſtimonium omni privato vel dubio ſcrupulo, vel malevolo cavillo, majus eſſe poteſt, ac eſt. conf. F. C. p. 628. - 638. 823. - 826. 830. 832. Non poterant iſta adeo commode præſtari in Libro dogmatico & præciſe particulariterque polemico, prout poſtea factum in Apol. F. C. & Selnecceri Recitationibus, ut & Andreæ Concionibus. conf. Hutter. Comment. in F. C. cap. 1. & 2. & 3.

præfer-

præſertim p. 4. & 20. ubi ait: Autores F. C. " nova & ſingularis vocatio ad Opus Conſcri- " ptionis, ab omni ſuſpicione affectati prima- " tus in Eccleſiis Germanicis Pontificii, aut ἀλλοτριοεπισκοπίας &c. prorſus liberat. conf. Hutter. Conc. Conc. capp. XI. XII. XIII. Ne vel odio vel ſtudio quid detur, forſan abſtinuerunt à ſuis adeo divulgandis, & Meduſæi capitis inſtar objiciendis, Nominibus.

Conf. dicta ad Num. 36. 52. (*LVII.*)

Non ſemper nuda & inanis protestatio totum rei negotium conficit. (*LVIII.*) Si quis proteſtatur contra concluſum, profiteturque tamen id, unde per juſtum & immediatum, vel ſaltem vel valde propinquum inferendi nexum, ſequitur, quod ipſum premit ac male habet, eo ipſo ſciat, teneri ſe ad abjiciendum, vel certe pro ſuſpecto, obliquo, ac lubrico habendum id, quod ſentit; & rectiora monentem audiendum.

Annon dantur unius rei plures, quan- (*LXI.*) quam ſubordinati, fines? An fini apologetico & Henotico non potuit poſtmodum accedere finis Symbolicus, didaſcalicus, & coërcitivus purgativusque ſui cœtus? An Proteſtantes non habuerunt jus, ex hoc ſuæ Confeſſionis Inſtrumento facere Symbolum ſuarum Eccleſiarum, & Normam Formamque ſanæ doctrinæ inter ſe receptæ ac publicæ? Eſt utique A. C. ſuntque cætera in F. C. contenta, Scripta ad dignitatem illam Eccleſiaſtice quaſi canonicam & autoritatem regulæ, non quidem fidei,

ſed profeſſionis ac doctrinæ γνησίως inter Lutheranos publicæ, evecta & exaltata. Non tamen ſunt fundamentum Fidei, ſed Fides fundamento Divino ſuperſtructa. Vide hoc nomine, quid LL. Symb. ex ſe ipſis faciant, præfationes, ut & pag. 570. 572. 633. 635. 636. 830.

Quæ illatio: Philippus non ſæpe (*LXIV.*) nominatur. E. fit ex invidia? Atqui nec alii æque pii ac eruditi Viri ſæpius nominati? Item: Philippus ſcripſit A. C. & ipſius mentem optime novit. Ergo etiam deinceps nunquam aliter ſenſit, aut ab A. C. antea ſic poſita, ex humano conſilio ad alios non deflexit, ſenſimque delapſus eſt? it. præcipuam navavit in illius conſcriptione operam, Ergo, cognitione Senſus ipſius omnes ſuperavit? Ἀνακόλουθα!

Imbelle argumentum: non eſt ubi- (*LXIX.*) que ſparſum hoc dogma, E. nec particulares cœtus ejus ergo præmonendi? Nonne plus ſatis, ſi inter quosdam diſperſum? nonne exin juſtum quoque, ibidem, ubi prodiit, everti & refutari? An valet conſequentia: Errores &c. dilucide exenterati omnibus Eccleſiis proponuntur, & cautionis gratia communicantur, E. hæ per eos perturbantur. Non perturbandi, ſed componendi Pacem, & reducendi animo prodiit Formula Concordiæ.

Et quid inde amabo! confici po- (*LXXIII.*) terit? Olim aliqui §. §. F. C. inerant, cum adhuc ultimam expectaret manum, & ſubinde

ſub-

ſubactiora ambirentur monita, qui dein juſtis dubio procul ex cauſis omiſſi; amabo! iterum dico, quid inde in F. C. præjudicium vel extorqueri poterit? Anne putemus, omnia cœlitus calamo, dum ſcribebant, illapſa, & in vero Θεοπνεύσεως ſtatu conſtitutos fuiſſe, ut nihil vel delere, vel intermittere, conſultius arbitrari valuerint, aut debuerint? it. Diſcrepant Exemplaria? Sed in quo? In rebus ſubſtantialibus, an phraſibus &c? Et quænam? à Philippo mutata! Id quidem illud ipſum eſt, de quo dolent Eccleſiæ! A. C. Formulæ Conc. inditam, Latinam & Germanicam, cum Inſtrumento Originali, Moguntiæ in Archivo Imperii aſſervato, ex aſſe convenire, non ſemel aſſerunt Electores &c. in præfat. F. C. gener. item Carpz. Iſag. p. 121. 123. 128. conf. Strauchii Conſenſum è Lyſero p. 494.

Quisnam hic illationis nexus va- (*LXXIV.*) lorve: Non adeo plane per omnia totus F. C. inſitus eſt Lutheri Catechiſmus, E. truncatus? E. depravatus? applicentur, quæ ad truncationem ac depravationem ſcripti proprie dictam pertinent, & eluceſcet hallucinatio.

Reſponſio ad Numeros.

§. 12. *Claſſ. III.* Numeri 3, 4, 5, 14, 16, 17, 18, 20, 25, 28, 32, 33, 35, 37, 41, 42, 43, 44, 46, 47, 48, 51, 54, 55, 60, 61, 64, 66, 70, 74. ita ſunt comparati, ut plurima, quæ complectuntur, plane inficiemur ac ſimpliciter negemus.

Pag. 634. tantum dicit, A. C. articulos (*III*) Smalcaldicos, & utrumque Lutheri Catechiſ-

mum eſſe publica & approbata Scripta, quæ in purioribus Eccleſiis & Scholis ſemper pro compendiaria ſanæ doctrinæ forma, quam D. Lutherus in ſuis Scriptis è SS. Literis deprompſerit, ſolideque fundaverit, habita ſint; quum autem ab adverſariis dicitur, eadem pro regula decerni, plane contrarium ex p. 632. 635. luce meridiana clarius elucet; Sin vero (ſenſu ibidem intimato, & in præfat. gener. §. Nec etiam alia. & §. quanquam autem nonnulli) Lutheri ſcripta, Symbolicæ hypotypoſi conformia, normam vocari, ferre nequeant, nihil tamen inde cauſæ illorum accedit, vel Formulæ Conc. derogatur, ut quæ id totidem verbis non expreſſit.

Scandalum, ſi quod intervenit, an à (*IV.*) Noſtris datum? Cætera, quæ de *fabricatione* &c. ſubjiciuntur, ſunt partim poſtulata, partim imputationes, partim illuſiones, partim ſuſpiciones pravæ, partim vani prætextus, partim diſſimulatio cauſarum, quæ γνησίως ad improbationem quorundam dictorum in Corpore Philippi tum temporis tantum non coëgerunt. Sat quoque F. C. meminit Corporis Philippini, dum Melanchthonem in præf. gener. (§. Nec etiam alia) præ aliis primum cum ipſius ſcriptis commendatum ivit.

De hoc ex dictis conſtat. Æſtimium (*V.*) Philippi non Form. Conc. ſed nimia Ipſius ad Synergiſtas & Sacramentarios, quin & Antinomos animadverſa declinatio aliquantiſper comminuit, Manent tamen utique etiamnum

Scripta

Scripta Ejusdem (etſi multum à ſe priſco mutati, ſed non qua talis) incomparabilia & nervoſa admodum, dummodo criſin adhibere, & diſcretivo judicio ea legere velis, & valeas.

Conf. §. 11. Claſſ. II. num. 14. ſupra. (*XIV.*)

Grande, nec unquam demonſtrabile (*XVI.*) poſtulatum! Tota Scriptura, tota DEI œconomia, tota pœnitentis cordis experientia, tota Chriſtianiſmi praxis, & tota tum temporis Antinomorum Hiſtoria, LL. Symb. harmonia phraſique, & denique ipſius quæſtionis à p. 709. - 719. evolutio, contrarium ſatis palpabili apodixi evincunt. conf. F. C. p. 630. & Carpzov. Iſag. p. 1136.

Negatur! Sunt phraſes, ſi non (*XVII. XVIII.*) formaliter, ſaltem virtualiter, biblicæ, Patribusque uſitatæ. Et quia ſimilitudines tantum commoda, quod quidem ipſimet quoque dicimus, explicatione indigent; E. non ſunt in ſe ineptæ, nec improbandæ. Inſuper ſic non tam Form. Conc. quam eruditæ antiquitatis, & veterum Orthodoxorum plane Eccleſiæ Patrum vocabula &c. quibus tamen in pia Sententia & vero diſcrimine uſi ſunt, corripiuntur. Vid. Form. Conc. p. 765.

Satis ſe expoſuit, ac uſum horum ter- (*XX.*) minorum reſtrinxit F. C. pag. 577. 651. Quod ſecum pugnent, falſum eſt. Nota enim accidentis diſtinctio.

Itidem non Form. Conc. ſed Patri- (*XXV.*) bus dica ſcribitur. Nec poſſunt id ex vero allegare adverſarii, cum nec ſatis ardua Scriptu-

ræ Formulam Conc. deſtituant teſtimonia. Nec tam attendendum, quid adverſarii dicant, quam quid veri dicant? Alias tutiſſime ſolis Divinis verbis inſiſti ac inhæreri, modo per alios fines cauſasque id fieri quoque poſſit & proſit, nemo Chriſtianus aut prudens negabit Theologus.

Veniatur in rem præſen- (*XXVIII. XXXII.*) tem! Determinentur iſtæ inauditæ prorſus antitheſes. Et quænam hæreſes pravæve opiniones ſponte productæ, ac denuo citra urgentem neceſſitatem in memoriam revocatæ? Nominentur quoque antitheſes mere confictæ, neminique ſaltem cogitatæ forſan!

Exaggerationes nimiæ debebant, (*XXXIII.*) ſi quidem poterant, clare exprimi, ut & Epitheta illa, infamiæ notam inurentia.

Locum de Chriſto innovatum, (*XXXV.*) obſcuratumque oportebat demonſtrari. Majeſtas Humanæ Chriſti naturæ communicata lapis offenſionis eſt ipſis. Non eſt res, quæ per intellectum, ſed per fidem Divinam in nobis comprehendenda.

Imo, quia ſunt, qui deſcenſum (*XXXVII.*) Chriſti adeo mire pervertunt, ac exinanitum eunt, adeoque iſte articulus admodum controverſus eſt, non tantum melius, quam is de aſcenſione Chriſti, poſitus eſt, ſed etiam quam maxime & unice neceſſario.

Conf Claſſ. II. Num. 41. 42. (*XLI. XLIV.*) III. Num. 3. 4. 5. An unquam Pontificii potuerunt juſtas proferre rationes, quod Formula

Conc.

Conc. Reformatos ipſis deridendos propinaverit? Et quænam corruptelæ adducuntur, publice non exortæ? Expunctionem Philippinorum Scriptorum ipſamet ſancte à ſe amolitur p. 635. Hæc autem & §. Nec etiam alia, in præfat. gener. Ipſum etiam Corpus Doctrinæ, ſed nondum mutatum, prorſus non redarguitur, aſt omni condigna veneratione excipitur. Perſecutiones ob ipſam Evangelii veritatem perpetiendæ fuerunt, non ex & ob mutationes Philippi. Nec id ſimplicioribus curæ fuit, aut animadverſum, ut qui rem fidei & charitatis conſcientioſe quærunt, non vanas Subtilitates, aut innovandi pruritus. Ad Scomma de ſervili & cœca erga Lutherum obedientia, reſpondet quoad rem F. C. p. 632. Conf. §. 11. Claſſ. II. Num. 46. (*XLVI.*)

Falſum eſt! Non plus commen- (*XLVII.*) datur Brentius, quam Urbanus Regius. Imo ſi Brentiana ſcripta ob §. in præf. in canonicam quandam evehuntur dignitatem, certe Melanchthonis multo magis, utpote l. c. præpoſiti. Sed falſum ex locis ſupra citatis.

Non Liber impedit, ſed qui ex (*XLVIII.*) odio Libri, tantum non omnes Libro addictos, & doctrinas quoque inibi obvias, ingenti perſequuntur ira Zeloque; & qui, licet unionem à ſe ambiri præ ſe ferant, nihil tamen vere & ex animo de ſuo rigore remittunt, quando quidem res ad ultimam analyſin & ſolidam criſin pervenit. Nec faciunt nobis, quod ſibi fieri volunt.

Receſſerunt Jeſuitæ ab antiquis Pon- (*LI.*) tificiorum placitis, & fere in Calvinianorum caſtra tranſiverunt. v. Carpzov. Iſagog pag. 781.-783.

Eſt mera ſuſpicio. Qui ſine ranco- (*LIV.*) re & carpendi libidine legit, vix tale quid advertere poterit, imo nihil. Satis moderato ſane ſtylo fere ubivis uſi deprehenduntur. Et quid iniqui commiſiſſent, ſi Virum, cujus mens rectior, quam lingua, & ab ineptis aſſeclis plus nimiumque fædatum ac obfuſcatum, cætera vero tenacem Orthodoxiæ vigilem, innoxio decentique dicendi genere, errorem Ejus recenſentes, notare voluiſſent, quin debuiſſent.

Conf. Num. 17. 18. 25. Si per calli- (*LV.*) dos in turbido phraſium gurgite feliciter piſcantes licuiſſet, quis non præferret ſimplicitatem Apoſtolorum piſcatoriam, ut cibum & lac *ἄδολον*?

Etſi non exprimant explicite eadem (*LX.*) præciſeque verba, habent tamen expreſſiſſimam rem & ſenſum, cui verba iſta innituntur.

Adverſatur p. 6. 571. 631. Et quis (*LXI.*) Regulam fundamentumve Fidei ipſius ex illis cudere attentavit? Satis de hoc ſupra.

Atqui nec Nomen, nec Scripta Me- (*LXIV.*) lanchthonis in LL. Symb. ſunt ſuppreſſa?

Tale quidem nihil adverti poſſe pu- (*LXVI.*) to. Demonſtretur ſolide. Erit pugna apparens, ex neglectis diverſis circumſtantiis nata!

Atqui nonnullis LL.Symb. antiquis (*LXX.*)

exem-

exemplaribus appendicis loco adjunctus legitur Libellus Baptiſmalis, (Tauff-Büchlein) qui Exorciſmum & commendat, & ſpeciatim, quomodo fieri debeat, exhibet. Quid tamen de Exorciſmo tenendum, interim Noſtrates ſatis expoſuerunt.

Negatur expreſſe p. 634. ubi ſic: (*LXXIV.*) Amplectimur etiam Minorem & Majorem D. Lutheri Catechiſmos, eos dicimus, quales illi ab ipſo ſcripti, & Tomis Ejus inſerti ſunt.

Reſpond. ad Numeros.

§. 13. *Claſſ. IV.* Numeri 37, 39, 45, 49, 50, 59, 62, 68. vix quicquam ultra dubias inferunt conjecturas, ac talia, quorum etiamnum perſpicua & vera expectatur deſideraturque apodixis.

Producantur fundamenta, ex (*XXXVII.*) quibus, articulum de aſcenſione Chriſti loco deſcenſus Chriſti poni debuiſſe, evinci queat, conf. §. 12. Claſſ. III. Num. 37.

Et quæſo, quî Selneccerus for- (*XXXIX.*) mam loquendi de reali idiomatum communicatione improbaverit, cum tamen Hoſpinianus cum contribulibus ſuis eo nomine Theologos iſtos laceſſat, acriterque ſuccenſeat, quod omnipræſentiam (ubiquitatem, ut illi per contemptum ac odium loqui amant) Chriſti Hominis ex intima περιχωρήσει Chemnitius, ex effuſione proprietatum Divinitatis eſſentialium in Humanam Naturam Brentius, ex indole corporis Majeſtatici Andreæ (ipſi Schmidlinus ex ſcoptico vilipendio & mordaci

mordaci Sarcaſmo) derivaverint, in Conc. Diſc. c. I de Orig. & Progreſſ. Lib. Conc. pag. 16. - 20. quæ citra realem idiomatum communicationem ne fingi aut concipi quidem poſſunt; qua in re, fundamentali quippe, certe Selneccerum, utpote ſtrenuum in iſto negotio Collaboratorem, ὁμόψηφον fuiſſe, negari vix poterit; quid quod idem, quantum memini, Hoſpinianus in Libro citato fateri debeat: Forſan duntaxat formulas caute hic loquendi ſuaſit & urſit Selneccerus, quod dein ipſi in ſequiorem pervertebatur ſenſum, quaſi ipſam realem idiomatum communicationem negaret!

Explicandum, quidnam deſit. (*XLV. XLIX.*) Hactenus tantum videtur. Oſtendatur Supplementum neceſſarium. In rem F. C. introſpicienti ſat clara omnia.

Inſtituendus erat Parallelismus, (*LVI. LXII.*) ut diverſitas eluceret. Conferenda erant loca, ut, an ad A. C. provocandi mos ac modus ſit ſolidus, nec ne, patere potuiſſet?

Quænam ſunt iſta? Num erunt for- (*LXVIII*) ſan πρῶτον ψεῦδος, quo dividimur utrinque?

Reſpond. ad Numeros.

§. 14. *Claſſis V.* Numeri 6, 12, 17, 21, 25, 48, 60, 65, 67, 71, 72. ſic ſe habent, ut, ſi diſtinctis conſiderandi modis res perpendatur, nulla forſan difficultas ſit ſuperfutura.

Vocabulum *condemnare* &c. non (*VI. LXVII.*) in ſenſu forenſi, quo aqua & igni interdicitur, ſed tantum Eccleſiaſtico, quo quis de erroris

gravi-

:avitate & proprio periculo cenſura quadam vera & acriter legali monetur, accipitur. Re-ꞏonderunt Electores &c. plura in præf. gener. ad Condemnationes, ſeqq. conf. Iſag. Carp-ɔv. p. 25, 26, & 1145. - 1149, 1154.

Fieri potuit, factumque eſt utrum- (*XII.*) ɪe; narrative adducta, dum, quid ipſi ſen-rint, verbis ipſorum propriis expoſitum eſt; d & probative, ſcilicet ad probandum anti-ɪitatis conſenſum, & ad avertendum Novi-tis præjudicium ac ἔγκλημα; ut & ad evin-:ndum, hunc talem fuiſſe Lutheri conſtantem ɪicumque animi ſenſum; neque enim in F. '. Teſtimonia, quia ab his vel illis dicta, ſed ɪia fundamentis ſanis ſolidisque nituntur, :oferri ſolent. Et quis neſcit, probationi ex ivinis petitæ omni jure quoque probatio-:m ex humanis ſubnecti poſſe ſcriptis, quan-ɪam, quod per ſe cuivis certum, admodum ſpari valoris gradu.

Licet non totidem ac expreſſisſimis (*XVII.*) ɪt ſic dicam) terminis inibi inveniantur, ſuf-:it tamen, quod ſat clare virtualiter ac im-icite, inque verbis plane æquipollentibus, , ſi reſolvantur atque explicentur, idem :orſus rotunde elocuturis.

Tentabo, & dicam aliquid ad defen- (*XXI.*) :ndum Philippum. Uſu primo ſuo (per F. '. p. 717.) Lex etiam per externam diſcipli-am, & concurſu ac manuductione quadam :mota poteſt eſſe ac dici pædagogus aliquis ɪ Chriſtum. Eſt enim illa honeſtas, ad quam

fera

ſera noſtra indoles utcunque per Legem adigitur, etiam aliqualis gradus reſtaurandi hominis, quem, ſi quis tanquam micam quandam gratiæ, ut ſic dicam, (abſit tamen omne ſenſus Pelagiani latibulum & confinium) generaliſſimæ, fideliter tenuerit, ac uſurpare velit, ad ſublimiorem ac intimiorem Legis vim, ſenſum, ἀποτέλεσμα &Scopum adſpirare poterit, donec tandem Legis conſummationem & terminum, nempe JESUM CHRISTUM, amplectatur ac teneat. Nemo ſane Chriſto inſeritur, niſi qui etiam (etſi non qua) in externum iſtud Legis præceptum ac Opus omni voluntate quam pleniſſime conſenſerit ac ingreſſus ſit, quod quidem nemini non quam notiſſimum! Seria cordis praxis & attentio etiam primum Legis uſum politico-coactivum ſuo, quantumvis admodum ſatisque humili, languido, & fere improprio, ſenſu conſideratum, Pædagogiæ in Chriſtum quoddam initium & quantulamcunque occaſionem fieri, eſſe, ac ſuppeditare poſſe, animadvertet. Qualis eſt influxus Ludimoderatoris in ſummam eruditionem diſcipuli olim ſui, quem prima duntaxat Alphabeti elementa docuit; talis mihi quoque videtur uſus Legis primi vis & concurſus ad unionem in Chriſto, ſcilicet aliqualis tantum, ac valde remotus. Equidem non eſſet opus, ut reſponderetur, cum non meminerim, nec invenire queam, in F. C. Pædagogiam proprie dictam in Chriſtum externæ per Legem ur-

utcunque ſaltem & vix productæ conſervatæque honeſtati & diſciplinæ aſſeri; licet in Apolog. p. 64. pr. ubi ad primum Legis uſum Gal. 3, 24. applicatur; rectiſſime autem juxta Spir. S. mentem de ſpirituali Legis ſenſu & Uſu ſecundo (pag. 594. 717. ſ.) idem à Form. Conc. p. 716. lin. 16. exponitur; nec eſt, quod deſiderari queat; Philippus autem (aut quisquis p. 64. Apol. lin. 6. autor eſt) ſcopum ſenſumque Spir. S. intentum, genuinum & vere pleneque emphaticum non eſt aſſecutus, quod utique fatendum. Niſi forſan, plus per accommodationem, quam probativam textus exegeſin aut applicationem dictum iſtud citatum, dicere quis malit!

Similitudines iſtæ, ſi non extendantur ultra commune Comparationis Tertium, & contra intentionem ſcopumque proferentis, nec Sophiſticis graventur ac illudantur Paralogiſmis, non erunt, quales audiunt, nec facient, cujus arguuntur. *(XXV.)*

Obſtant quidem Libri Symbolici nonnullis Calvinianorum &c. theſibus, non autem Evangelio, prout in Scriptura de eo docetur; E. nec ejus curſum impedit. *(XLVIII.)*

Conf. §. hunc Claſſ. hujus. Num. 17. & §. 12. Claſſ. III. Num. 60. *(LX.)*

Diſſuaſerunt non ſimpliciter, ſed ſecundum quid; non ad ſemper, ſed ad tempus, non ex odio, nec ex metuendo cauſæ ſuæ periculo, ſed ex prævifis ejusmodi Synodorum *(LXV.)*

dorum incommodis, ſatis ac veſtigiis terrentibus; quin ex animadverſo ſecus ſentientium, quod fovebant, conſilio. Et quomodo Libro, toti Orbi communicato, timuerint?

Formula Concordiæ in Epitome (*LXXI.*) ac Declaratione rem hanc totam adeo luculenter ac diſtinctè diſcuſſit, ut nihil deſiderari queat amplius; nec iſtud de Natura Hominis bona ac integra ſine additamento diacritico uſpiam inibi legitur.

Coactis id faciendum erat, & ex (*LXXII.*) abundanti; quin κατ' ἄνθρωπον. Secus ſentientibus monſtrandum erat, nec articulum de Perſona Chriſti, Lutheranorum de præſentia corporis Chriſti in cœna ſententiæ, adverſari, conf. F. C. p. 752. 761. & præf. gener. §. quanquam autem nonnulli Theologi, & §. Et ſane cum hoc.

Reſpond. ad Numeros.

§. 15. *Claſſis VI.* Numeri 12, 21, 36, 52, 53, 55, 57, 58. adeo non feriunt Formulam Conc. ut magnam partem ultro concedi queant.

Theſes enim Theologicas ex ſolidis (*XII.*) Scripturæ fundamentis, non autem ex nudis humanis teſtimoniis, aſſerendas, ipſa F. C. theſis eſt.

Uſum Legis in Chriſtum Pædago- (*XXI.*) gicum in ſpirituali ac profundiſſimo Legis ſenſu, uſu, ac exercitio vere ac proprie conſiſtere, & ex mente Spiritus Sancti in epiſtola ad Galatas idem intendi, & à Luthero recte

ſic

ſic exponi, Apologiam autem non ſatis in viſcera textus penetraſſe, non negatur.

Quum F. C. non plenum (*XXXVI. LII. LVII.*) Syſtema, ſed potiſſimum Confeſſionem, ac tum temporis publice exortarum controverſiarum deciſionem exhibere voluerit, eſſe articulos inibi non pertractatos, quis miretur?

Id quidem Formula Conc. expreſſe (*LIII.*) intimat, pag. 634. & 635. atque concedit, imo exigit.

Suo utique ſenſu præſtitiſſet, dummodo (*LV.*) ſalvo fundamentali fidei articulo fieri potuiſſet! Sed per quosnam ſecus & factum & fieri oportuit? Et proferatur argumentum, demonſtrans: quod Formulæ Conc. inſit DEO & Chriſto indigna diſputandi ratio!

Utique. Sed, ut ſpero, non malignus. (*LVIII.*) Fiat periculum! Indignitas rei, Monachorum impudentia, Anti-Chriſtianum doctrinæ genus, Hoſtium tyrannis, Contradicentium pervicacia; juſtus ex oppoſito zelus, cauſæ innocentia, fidei parrheſia; ſed & quadantenus genius iſtius ævi, (quod non inficias itur) legitimos defendendi ac mitigandi ſuggerent nervos. conf. pag. 49, 186, 222, 279. &c. in LL. Symb. Aliquid humani alias fere ſolent utrinque nonnunquam pati, qui ſententiarum divortiis acriter decertant.

Reſpond. ad Numeros.

§. 16. *Claſſis VII.* Numeri 9, 10, 19, 36. prolixitatem, alibi ab ipſismet caſtigatam, deſiderant.

Quomodo τὸ Spirituale in Cœna ac- (*IX.*) cipiatur, ſatis, ut quidem puto, exponit p. 744. 753. 755.

Quare à ſpecialioribus in articulo de (*X.*) Prædeſtinatione abſtinuerit Formula Concordiæ, conſcientioſe admodumque perite ac Theologice innuit p. 619. f. 620. 800. 801. 806. 809. 810. 811. f. 812. 813. 814. 816. 823. quanquam etiam in his ipſis citatis locis ſatis ſpecialia, & ad individua facillime applicabilia, imo jamdum applicata contineantur, ut ideo & hic nihil deſit.

Satis clare tractatus eſt hic articulus, (*XIX.*) eo ipſo, dum &, quia, quæ dubia, curioſa, temeraria, nobisque, dum hic in ænigmate per ſpeculum cernimus, nunquam ſolide determinabilia, adeoque obſcura ſunt, ſuo loco reliquit, id autem, quod planiſſimum ac tutiſſimum, retinuit, & ad Lutherum prolixius id agentem remiſit.

Supra de prolixitate F.C. incomoda (*XXXVI*) conqueſti ſunt; jam ipſum Corpus Doctrinæ inſeri volunt; in quantam vero ſic Liber excreſceret molem? Quis non videt?

Reſpond. ad Numeros.

§. 17. *Claſſ. VIII.* Numeri 23, 24, 31, 38, 52, 73, 75. parvi, ſi non nullius, ſunt momenti, nec quicquam ad rhombum faciunt.

Externum iſtud adminiculum cu- (*XXIII.*) jusque arbitrio relictum eſt. In Catechiſmo Majori tale quid conſpicitur. Rem curarunt, non ornatum, dogmatum veritatem, non mnemo-

mnemonicam apprehenſionem, aut ſummariam appoſitionem &c.

Cur ſic poſitus ſit, & quomodo (*XXXI.*) ejus tractandi emerſerit occaſio, neceſſitas, ac utilitas, exhibet ipſa F. C. p. 605. 761. Unde etiam juſta ſeries prodit & connexio.

Diſcrimen iſtud, ipſum illumi- (*XXXVIII.*) nationis in Luthero incrementum, etiam nemine monente, parit; uti etiam Lutherus in ſcriptis ſuis idem paſſim innuit.

Factum id forſan ex prudenti ac (*LXXV.*) modeſto, quo ulcera, tactum reformidantia, exacerbare noluerunt. Rem nonnihil, quantumque ſatis eſſe poterat, quoad occaſionem & caſum intimat p. 614. & 789. ſeqq.

Reſpond. ad Numeros.

§. 18. *Claſſis IX.* Numeri 40, 48, 63. allegant, quæ ex parte ipſi deploramus, ſeu etiam optamus. Sed quorum culpa iſta facta ſint aut fiant, ſufflaminenturve hodienum, ſuum quisque probare tenetur opus. Hactenus reſponſum ivi ad objectiones in Hoſpinianæa Concordia Diſcordi fere obvias.

§. 19. En! quot Cenſuris & Examinibus ſe ſubmiſerit Formula Concordiæ, & quot deſideria ac ἐγκλήματα non unis ex locis advolaverint adverſus ipſam? Quid vero valeant, ex dictis, ni fallor, conjici poteſt. Perpetua fere Elenchi aut ignoratio aut diſſimulatio deprehenditur; nihil enim minus evincunt præſtantque, quam quod præſtare vel debebant,

vel præſumebant. Ubi enim, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, Formulam Concordiæ *noſtram* capitalis, aut ſaltèm inſignis, imo alicujus convicerunt erroris? Extra oleas propemodum omnia vagantur; & toties ſolide diſcuſſa ad nauſeam usque repetunt. Pauciora metam propius attingunt, ea vero fere talia ſunt, quæ hactenus tanquam paries intergerinus utroſque diviſerunt. Hoſpiniano autem ſpiſſo itidem tractatu diſtincte ſatisfecit Hutterus in Concordia Concordi. Quod ſupereſt, ferme perſuaſus ſum, quod, qui præfationes in Form. Conc. ut & totum, prorſus ac omni jure meritoque incomparabilem, Librum Symbolicum ipſum nocturna diurnaque manu tritum, pio, ſolido ac debito ſtudio evolverit, omnibus, certe plurimis, quæ regeri ſolent, inſtantiis dubiisque, non adeo impar ſit futurus. Atque ſic ſpeciminis loco, quid præcipui & aperti Formulæ Concordiæ adverſarii præcipue de illa ſentiant, oſtenſum. Sed ſunt præter illos etiam alii, & quidem γνησίως Evangelici candidique Chriſtiani, qui hinc inde inter ſedulam ſollicitamque Libri Lectionem nonnulla deſiderant, ac quaſi minus bene-dicta annotant, aut certe forſitan annotare poſſent. De his ergo talibusque, præcipue quidem de illorum dubiis, ſequitur & agit

CAPUT

CAPUT TERTIUM,

Qualia forſan pio & attento Lectori LL. Symbol. hinc inde dubia occurrant, vel occurrere queant, pertractans.

§. 1.

Quid juſtius, quid conſcientioſius, quid Scopo & Mandato Chriſtiani II. Electoris Saxoniæ (in prima F. C. præfatione) convenientius, quam Librum Symbolicum adeo ſancte ac religioſe ſubſcribendum, ſubſcriptumve nocturna verſari manu diurnaque, &, in quantum unquam fieri poteſt, cum maxima ſollicitudine perquiri ac evolvi? Quid mirum, in humano, & non θεοπνεύςω, Scripto reperiri, quæ limatiorem curam deſiderare nonnullis videri poſſint? Quis ignorat, acri & inconniventi Luſtratoris &c. oculo in facie alias omnino venuſta vel levem maculam quam facillime notabilem eſſe & adverti, imo tanto facilius, quanto eadem in ſe venuſtior? Homerus dormitat? Tantum non ſtupent, indignantur, qui acri rigore cenſent. Epimenides ſtertit, ac torpet? Non moventur, in tali talium aſſueti. Libri noſtri Symbolici certe tot tamque Divinis prorſus undequaque fere tincti repletique ſunt Veritatibus, ut paroramata, forte interſperſa, cum illis comparata, ſint inſtar unius guttulæ aquæ cum magno mari collatæ. Quis autem, & ubi iſte eſt fluvius, qui, etſi limpi-

diſſimus fluat, nihil tamen quicquam aliunde adventitii ſecum ferat limi? Idem ager, qui triticum fert, fert & ſtipulas; quis peritus aut prudens jure ſuccenſeat? Fruimur iſto, non his. Solidum animæ pabulum eſuris, inconcuſſamque i. Divina Chriſtoſophiæ theſi requiem anhelas? Demittere duntaxat, juvante Te Domini Spiritu, in Symbolicæ Theologiæ profunditatem! Revelabitur tibi myſterium iniquitatis connatæ & auctæ; ſed & veri JEſu Chriſti, unici Mediatoris, Fidei & Pietatis! Methodum cernes, ac ſenties Theologiam, i. e. quoad rem & praxin limpidum plenumque fidei ac vitæ Chriſtianiſmum, tradendi in Deo admirandam, venerandam! LL. Symbolici religionem (ſeu rectum de Deo ſenſum, & verum in Deum cultum) *tanquam cauſam ad Deum & uniuscujusque conſcientiam unice ac immediate pertinentem*, ad Deum quoque & hominis conſcientiam ſancte ſemper ac anxie referunt. O beata, ô Divina docendi ratio! Quantam Divinæ inibi ſimplicitatis preſſæque gravitatis experietur cor ſollicitum ἐνέργειαν? Devota, & *coram Dei judicio Scripturaque arbitrio inſtituta*, ſevera, ſeriaque Librorum Symbolicorum lectio mihi eſt exacta propriæ meæ conſcientiæ ad ſingula fidei capita diſcuſſio! O gymnaſium ſui *intus* elenchticum, epanorthoticum, pædeuticum, ſed & paracleticum, atque ſic utiliter docimaſticum, & plene ſalutariterque didaſcalicum! Sane imprimunt, niſi data ponas obicem opera,

pera, cordi & conſcientiæ pie attentæ charaćterem indelebilem! Cor humanum prius, quam ſecus ſentientes, denudant, correćtumque eunt. Elenchum *carni & rationi naturali domeſticum* & univerſalem in humano animo, quoad credenda & agenda neceſſarium, præmittunt elencho extraneo, particulari, & adverſus certos tantum adverſarios direćto; admodumque perite, jucunde ac fručtuoſe id præſtant, fontem communem, unde errores emanant, inquirentes. Internum illum veræ fidei æque ac novæ vitæ hoſtem, tanquam capitalem hæreticum ac hæreſεων Patrem, veterem puto hominem, animæ potiſſimum vires corrumpentem, invadunt, confundunt & confodiunt. Nonne animo *ſic* in LL. Symbolicis occupato, leviora, quæ quaſi aliud agendo, & id, quod majus, cogitando, illapſa ſunt, nullam, ſaltem invalidam prorſus, objicient remoram? Namque ad præcipuum rei Chriſtianæ ἔργον, communemque Terminum, adque momentoſum humani cordis cum & coram Deo negotium ac exercitium ſumme fixeque intentis, irrepſiſſe, quæ forſan ſcrupulum aliquem movere valeant, quis cordatus iret inficias! Sed minuta valde ſunt iſta, conf. cap. I. Theſ. XV. nec neceſſariorum ac ſalutarium fidei dogmatum catenam ullo modo vel luxant, vel turbant vel tangunt ſaltem! Exhibebo, ut mihi videntur, potiſſima; recenſebo ſcrupulos, quos quis, conſcientioſus etiam alias F. C. ſocius, in Corpore Doćtrinæ

noſtræ Symbolico forſan reperire queat. Aliis quidem alia obſervatu ſi fuerint posſibilia, ſolutionis tamen fontes in ipſis quoque Libris eruere poterit, ſi quis ſedulo rimari, nec ſuo tantum affectui, præjudicio, aut carpendi cavillandive genio, indulgere voluerit. Subnectam ſingulis dubiis, quæ reſponſionis vices explere valeant. Vindicatum ubivis ibo LL. Symbolicos, ſed tamen ita, ne qua nimio atque coacto quodam excuſandi palliandive ſtudio veritati & autopſiæ vis fiat, vel præjudicium. Non eſt animus curioſos paſcendi, ſed ſcrupuloſos extricandi. Omnia ex ſincera conſcientia & coram Deo! Cooperetur mihi miſero & cæcutienti Gratia, Virtus, & Lux Dei Patris in Chriſto JEſu per Spiritum S. Amen!

§. 2. Quo vero res tota magis conſpici clareque cerni queat, partiar eam diſtincte. Sectio generalis dubia non nihil generaliora ſeptem; Specialis autem ſpecialia expendet, ita quidem, ut ſuas ſub ſe complectatur Subſectiones, quæ potiſſimum eos diſcuſſum eunt ſcrupulos, qui meæ propriæ conſcientiæ obvenerunt, & qui etiam aliis ſinceris A. C. ſociis, ut & nonnullis cæteroquin vere piis Chriſtianis obrepſerunt, ſaltem forſan obrepere poſſunt; illarumque Prima, contra A. C. exhibet viginti duos; Secunda, contra Apologiam quadraginta & unum; Tertia, contra Articulos Smalcaldicos ſeptem; Quarta, contra Catechiſmos Lutheri, quatuordecim; Quinta, contra F. C. ſtricte dictam, viginti tres;

tres; omnes autem ſimul cum Sectione generali, centum & quatuordecim. Rogo Chriſtum, ut Spiritu Sancto ſuo adjuvet me, ut id illuſtrare ac patefacere poſſim! (gemitus etiam Apol. p. 104. lin. 1, 2, 3,) Fiat in Ipſo!

Sectio Generalis
exhibet
Dubia Generalia
& excutit.

§. 3. Dub. I. In Titulo LL. Symbolicorum, Formula Concordiæ ſtricte dicta, audit articulorum quorundam, qui poſt Lutheri obitum in controverſiam venerint, ſolida Declaratio, cum tamen F. C. decidat controverſias, dudum etiam antea motas, quam Lutherus ex hac vita exierat.) ℞. Non inquit Titulus, omnes à F. C. *declaratos articulos poſt beatum Lutheri ex hac vita exitum in controverſiam* demum *veniſſe*, ſed *quosdam* tantum. Nonnullæ enim controverſiæ Luthero adhuc ſuperſtite agitatæ ſunt; nonnullæ quaſi eminus conſpectæ ac prævisæ gliſcebant; nonnullæ propiora ortus ſui ſemina & præſagia oſtentabant; nonnullæ vero alto adhuc prorſus involutæ jacebant ac premebantur ſilentio. Iſto defuncto, plus audere cœperunt quidam, liberiusque ſentire ac loqui. Ex diverſis, quanquam fere inter ſe admodum connexis, ſeque mutuo quaſi excipientibus, cauſis ac occaſionibus diverſæ prodierunt theſes, &c. Omnes

D 5 autem

autem vel tum demum, vel ſaltem denuo, & ſub incruſtato quodam Schemate, motas quæſtiones declaravit Formula Concordiæ ſtrictè dicta. Omnes dum dico, potiſſimas, ac reliquarum Matres Originesque præcipue puto. Agebatur poſt fata Lutheri apertius, vehementius & intricatius, atque etiam ſimul ab aliis, per iſtos articulos, de quibus in F. C., ut & alio ſcopo modoque, quam tempore Megalandri. Iſtos autem nodos enodavit ſolida Declaratio, prout tum obortis obveniendum erat, ac ut obveniretur, conſultum putabatur. Sunt quidem, qui potiorem ac principaliorem F. C. laborem & finem fuiſſe cenſent, ut ſe Sacramentariorum (quos vocant) ante mortem Lutheri motæ liti opponeret, atque ideo Titulum h. l. nonnihil fallere; ſed falluntur ipſi. Articuli F. C. 1. 2. 3. 4. 9. 10. ſunt iſti, ad quos Titulus LL. Symbolicorum, præprimis quoque digitum intendit; quamvis negari etiam non poſſit, quæſtionum art. 5. 6. 7. 8. excuſſarum æque ferme magnam tum temporis habitam, habendamque fuiſſe rationem, ut quæ, cum poſt Theandri tempora ſpeciali modo majorique niſu renatæ, defenſæ, ſparſæque admodum invaleſcere cæpiſſent, determinatiorem quoque, perſpicuam, & ex conventione publicam deſiderarunt Declarationem; Controverſiam autem de Cœna Formula Concordiæ conſiderat, in quantum etiam à nonnullis A. C. antea ſincere addictis arrepta ac defenſa fuit, vid. F. C. p. 725.

§. 4.

§. 4. Dub. II. Præfatio generalis vultum præ ſe fert, quaſi ab Electoribus &c. ſcripta eſſet, cum tamen Theologos autores habeat, quod produnt Termini Philoſophico-Scholaſtici, &c.) &c. Non adduco, quam fraudulentum, impudentem, ac mendacem animum D. Andreæ, & D. Chemnitio circa præfationis F. C. conſcriptionem imputet etiam Hoſpinianus in Conc. Diſc. c. 26. p. 236. 238. 239. 253. 255. 269. Nec acre judicium, quod Anhaltini contra F. C. præfat. ap. Eund. cap. 31. p. 271.-274. Anno 1579. Kal. Novembris exhibuerunt, ad quod quidem Noſtri ſtatim in Decembri Refutationem ſcripſerunt, adverſus quam vero Anhaltini denuo ediderunt Apologiam Anno 1580. cujus Summam excerpſit Idem p. 274.-276. Qua enim facilitate illi conſcribendæ præfationis veniam, à Principibus &c. per D. Andreæ & D. Chemnitium callide emendicatam, ac Principum &c. oculos præſtrictos, Horumque Nomina, tanquam Caput Meduſæ, præfixa & ſuppoſita &c. aſſerunt, eadem nos eadem pernegamus. Quid mirum, quod ſudem iſtam ferre nequeant, nolint, ut quam ſuæ Hypotheſi, ſcopo ac voto adverſam, probe norunt? Quæ deſiderant, ipſam Majeſtatem Humanæ Naturæ in Chriſto divinam concernunt, ac invadunt. Sed mitto iſtos! Fateor autem, etiam ſincero alias Eccleſiæ noſtræ membro, ex præfatione attente perquiſita, nonnullum forſan (præſertim primo intuitu & aliquamdiu) ſubnaſci poſſe

poſſe dubium; An ab Electoribus, Principibus & Ordinibus conſcripta ſit, ut quæ Muſæa, adyta & Scrinia Theologica plus videtur ſapere, quam Archiva, & Cancellarias Politicas, ac Stylum impuriſſimis Scholaſticorum lacunis, quam Curiæ, quandoque convenientiorem & uſitatiorem! Verumenim vero erunt etiam, quæ ad conſcientiam relata, ſcrupulum omnem eximent. An enim pius animus eo ſe adduci patiatur, ut non tantum Imperium Romano-Germanicum, verum etiam univerſum ubique Chriſtianiſmum ab Ordinibus, Principibus, ac Theologis impoſtura tali & mendacio publice deluſum ac deceptum fuiſſe, credat aut præſumat? Abſit! Abſit! Et an fraus iſta (poſito tantum, nunquam autem conceſſo, commiſſam eſſe) omnino latere potuiſſet in iſtis Eccleſiæ noſtræ diſturbiis ac luctis, ubi ſatis obſervatorum experiebatur, & non paucos in ſinu ſuo occultos pſeudadelphos numerabat? Cæterum autem, quis ignorat, in communi ac publica Magiſtratuum &c. praxi obtinere id, ut ejusmodi publici Labores ac ſcripta &c. non ab ipſis, qui præſunt, elaborentur, ſed ſelectis, & ad id conſtitutis viris, committi ſoleant? Quod autem per delegatos, & nomine tantum ſuo agentes, fieri volunt ac mandant Imperantes, id ipſi ſane faciunt, & feciſſe omni jure cenſentur, cenſendique ſunt. Sufficit Præfationi autoritas, quam ipſi collatam ſcimus, & ratihabitio Principum ac Ordinum publica! Sufficit, non à

priva-

privato, qua tali, nec privato auſu eſſe ſcriptam! Num vero inſuper res prorſus inaudita, Theologum ineſſe Politico, (uti proh-dolor etiam vice verſa) id eſt, Theologiæ gnarum eſſe, qui civilia novit, moderatur & gubernat? Numquid Curiæ Chriſtianæ, qua tali, Theologica loquendi humilitas & ſimplicitas dedecori? Theologicum diſputatorem qui agit, loqui etiam, uti Theologis in more poſitum eſt, quis indigne ferat, miretur aut dubitet? Numne vero prorſus inſolitum, Conſiliarios cum Theologis juncta opera Scriptum adornare publicum? Annon cauſæ mixtæ, & antiquus per Collegia, Eccleſiæ repræſentativa, agendi mos idem depoſcunt, ſecum ferunt ac intendunt? Annon poterat requiſita Theologorum mens verbis ipſorum propriis inſeri? Annon §. quod vero ad phraſes, in præfat. ſatis tale quid innuit, ſi accurate legatur? Inde utique terminis utrinque uſitatis ac notis, quid ſentirent, exponere debuerunt, & utile æſtimarunt. Quin mentio horum terminorum ac loquendi modorum nullo potuit omitti modo, ut qui erant partim lapis, ad quem offendebant; partim breviſſima, & iis, qui intelligere volebant, ac quibuscum diſceptabatur, luculentiſſima, diſtincte animi ſenſa communicandi, ratio? Et annon Præfatio iſtas Scholaſticas voces ſatis a ſe, ut ſic dicam, averruncatum it ac amolitur, dum ultro concedit, non eſſe ſatis latina vocabula, & tantum à ſe retineri ac uſurpari, quia

quia Scholis placeant, nec antiquus Patrum deſit aut abhorreat uſus, & ad cautam dicendi docendique rationem conducant? Et cui non vel leviter dialecticam ſaltem docto, iſta facillima ſint intellectu? Cum ſimplicioribus autem, & iis, qui talia ſic non diſputant, in ſimplicitate Scripturæ & catechiſmi agitur. Nam *verbis Chriſti apertiſſimis in firma fidei ſimplicitate firmiter inſiſtere, ratio tutiſſima eſt, & erudiendis hominibus imperitis accommodatiſſima; neque enim illi ea, quæ de his rebus accuratius diſputantur, intelligunt*; ait ipſa præfatio in §. Et ſane cum hoc fundamentum. Atque ſic ad Heshuſii Brunſuicenſiumque &c. de omittendis iſtis Terminis in judicio de Form. C. ad Chemnitium monitum (de quo vid. Doct. Fecht in Epiſt. p. 502. conf. Hoſpinian. pag. 249.) nonnihil dictum. Ut autem denique paucis complectar, quod rei caput eſt; cum de Tua ad F. C. obſtrictione quæritur, non tam de Præfationis autore ſeu miniſtro, quam de Ejus valore, veritate ac interpretatione publica agitur. Si Præfatio ſe Tuæ conſcientiæ probavit, eſſe veritatem Divinam revelatam, ſalva res eſt, autoritatem externumque valorem ſuppeditat ac ſupplet Nominum Principum, Electorum & Ordinum præfixio, Librorum publicatio, Subſcriptio, & ex iſto tempore hucusque perdurans Praxis, Receptio ac publica Ordinum Eccleſiæ noſtræ addictorum æſtimatio. Nec Terminorum præcipua cura eſt aut obligatio, ſed rei ipſius; quam ſi teneas, conſcien-

tiæ

tiæ Tuæ, ſi Terminos, quantum ſatis eſt, aſſequi nequeas (quod quidem vix poſſibile puto,) nec laqueus nec vis inferetur, modo alias de Sinceritate fidei ac mentis Tuæ ſatis conſtet.

§. 5. Dub. III. Præfatio Philippiſtarum, & Synergiſtarum errores diſſimulat, & Laicos Calvinianos abſolvit] ℞. Ah! ne vitio vertamus Chriſtianis ſemper tutiorem æquitatem, lenitatem ac ἐπιείκειαν, quæ forſan intervenit! Partium ſtudium (quaſi, humano conſilio, gratiæ erga Philippiſtas aliquid datum ſit, quod alibi odio) nec hic temere autuma, aut præſume, Chriſtiane Lector! Rem ex ſcopo dijudicemus! Non fuit Præfationis animus, Elenchum inſtituere per ſpecies univerſalem, ſed duntaxat Formulæ Conc. Occaſionem, Originem, Initia, conſcriptionem & Progreſſum, ut & bonam intentionem exponere, ac præjudicia & ἐγκλήματα ipſis imputata à ſe ſuoque conſilio avertere, ſicque omnimodam ſinceritatem ſanctè publiceque conteſtari. Non meminit quidem Philippiſtarum ac Synergiſtarum expreſſo verbo, ſed tamen quoad rem ac implicite, quoties de corruptelis, falſis fratribus, de diſceſſu ab Auguſt. Conf. aut ſenſus ipſius perverſione &c. conqueritur, Sacramentariorum vero, prout nomine iſto diacritico vocari ſolent, mentionem facit, cum, quia multas conſtituebant ſeparatas jamdum Eccleſias, & blasphemias contra S. Cœnam in Eccleſiis noſtris doceri & diſpenſari ſolitam,

curioſiſ

curioſis, craſſis & carnalibus ſarcasmis horribiliter tinctas, evomebant; tum etiam, ut gravem iſtam à ſe excuterent accuſationem, qua ii, qui de S. Cœna ſecus ſenſerunt, ſuis tum temporis perſecutionem & graviſſimam Tyrannidem patientibus, à Form. Conc. periculum creari & adaugeri, valde conqueſti fuerant. Quos vero, quales & quomodo excuſet, nec condemnet, ipſa & ſatis & Chriſtiane exponit §. ad Condemnationes. & §. Magna etiam in ſpe ſumus. & §. Quamobrem hoc noſtro Scripto. Et ſic nec odio, nec gratiæ nimis datum arbitror.

§. 6. Dub. IV. Libri Symbolici debent originem hominibus, qui errare poterant; E. etiam habebunt errores.) ℞. A poſitione potentiæ ad poſitionem actus inconſequenter colligitur. Autores F. C. etiam in ipſo ſcribendi actu extra omne errandi periculum conſtitutos fuiſſe, quis affirmet? Aſt errores, & quidem ad rem ſubſtantiamque dogmatum pertinentes, commiſiſſe, id quidem hactenus tanquam demonſtrandum expectatur. Non quæritur, quid fieri potuerit, verum quid factum ſit? Equidem errare humanum eſt, ſed non ita, ut ſemper errent, quicquid agant, homines. Definito errore, quid ſit, & diviſo, quotuplex, quicquid ſcrupuli ſubeſſe poterat, ſponte ſua excidet ac evaneſcet. Libri Symbolici ortum trahunt ex Veritate prima Revelante ac revelata (id eſt DEO & SCRIPTURA) per homines; ſicque alio

(hoc)

(hoc) ſenſu in ſe ſunt erroribus obnoxii; alio verò (illo ſc.) nequaquam.

§. 7. Dub. V. Si LL. Symbolici non habent errores, nec ipſis tales ineſſe conceditur; E. Scripturis vel exæquandi ſunt, vel actu exæquantur.) ℟. Abſit exæquatio! "*Sive Patrum, ſive Neotericorum ſcripta, quocunque veniant nomine, SS. Literis nequaquam ſunt æquiparanda, ſed univerſa illis ita ſubjicienda ſunt, ut alia ratione non recipiantur, niſi teſtium loco &c.* F. C. p. 570. & p. 635. ex Luthero. *Sola SS. literæ pro unica regula & norma omnium dogmatum* (& omnium Doctorum p. 570.) *æſtimandorum & judicandorum agnoſcendæ, iiſque nullius omnino hominis ſcripta adæquanda; ſed potius omnia ſubjicienda*, &c. Hanc & ſuam & Lutheri theſin non minus olim F. C. autores, omnesque, qui eam receperunt, noverint, quam etiamnum hodie cuncti periti ac pii Viri & Chriſtiani; unde nec ſibimetipſis adeo adverſabuntur, ſuorumque aſſertorum vel immemores vel transgreſſores erunt, ut Libros Symbolicos Scripturis Divinis exæquatum ſint ituri. Non id agunt Noſtratium prudentes & conſcientioſe docti. Nec ſequitur; Libri Symbolici, prout jacent, errorum fidei morumque expertes & ſunt, & habentur. Ergo, Scripturis mere & undecunque tantum Divinis, (quibus errorem ineſſe implicat, ac per eſſentiam, ſeu per id, quod & unde ſunt, quod ſunt, repugnat) æquiparantur; ſicut nec ſequitur, Hic homo nullo laborat morbo aut

 defectu

defectu, qui vel vitam vel ſanitatem afficiat; Ergo aſſimilatur Angelis per eſſentiam immortalibus, nec ægritudini cuipiam obnoxiis. Libri Symbolici non eximuntur ex erroneorum Scriptorũ numero ſive catalogo, ob concurſum omnium in vere Θεοπνεύςοις, & ab omni erroris poſſibilitate vacuis Libris ſe offerentium Infallibilitatis circumſtantiarum, cauſarum, fundamentorum & finium, ſed tantummodo ob conſenſum cum Scriptura Divina, & quatenus eidem preſſis veſtigiis inſtitiſſe, deprehenduntur, adeoque duntaxat ſecundum quid & reſpective. Horologium poteſt curſui Solari quam exactiſſime commenſuratum eſſe, & ei tanquam in puncto Mathematico convenire, non tamen adæquatur infallibili Solis motui curſuique; ſic ſufficit Formulæ Concord. rectitudo dependens, nec jactatur de ipſa independens. conf. F.C. p. 635.f.*cum* è verbo Dei & p.633.*quia* è verbo Dei.

§. 8. Dub. VI. Apologia habet ambiguas phraſes.) ℞. Obſervat idem D. Carpzov. in Iſag. p. 1140. & quivis, qui Apologiam cum cura & meditatione pervolvit. Sed non refert tanti, aut nocet nobis; nec ipſi præjudicat. Mallem ego quidem nominare formas loquendi peculiares, ex ſimplici conſcientiæ guſtu plus, quam ſollicita ſemper ſcientiæ cautela, & applicationis prudentia nonnunquam prognatas, ſed penetrandas, ruminandas & concoctione pia in ſuccum ſanguinemque Chriſtianum convertendas. Sapit ſane ſtylus

lus ipſius animæ agones, & cordis experientiam. Altius autem in animum demittit ac preſſius exprimit luctam, qui eandem luctatus, quam qui ſpectatam, auditam, lectamve ſaltem refert. Diſparis affectus diſpar ſermo. Inſunt etiam Apologiæ voces, fidem ſerenamque conſcientiæ tranquillitatem & lætitiam animoſe ſpirantes. Ineſt etiam genus dicendi Biblicum, quo totum plenumque actuum & rerum in ſe quidem diſtinctarum, ſed in praxi tamen prorſus indiviſibilium, ambitum & complexum uni fere prædicato, ad naturam & indolem Subjectorum dividendo, diviſimque applicando, connectit. Inſunt phraſes ad hominem, quocum diſputatur, formatæ, & ex prudenti loquendi imitatione ad adverſariorum phraſeologiam accommodatæ, adeoque ex hypotheſi ſaltem concluſivæ & validæ. Omnes tamen ſinceræ à ſincero tum temporis uſurpatæ. Et monſtretur ambiguus quiſpiam ſermo, quem res ipſa & contextus non reddant planum ac verum. Apologiam cenſeo Librum conſcientiæ excitandæ, denudandæ, ſanandæ ac humiliandæ practicum. Regnum peccati & Dei Chriſtique, non in verbis, ſed in virtute conſiſtens, annunciat. Lege & νουνεχῶς attende, intelliges, verum eſſe, quod dico.

§. 9. Dub. VII. Formula Concordiæ, præſertim vero Apologia, Legis impletionem per Spiritum S. fere ubivis urget & aſſerit. Ob nimium locorum numerum à citatione abſti-

neo.) ℞ Eſt forma loquendi mere Biblica & Novi Teſtamenti; cui etiam harmonicus Scripturæ ſenſus juxta fidei & univerſi Divini Codicis Analogiam applicandus ac induendus. Nec aliud Apologia &c. Terminum, imo rem illam, uſurpando ac inculcando vult & intendit, quam DEUS ipſe in Veritate ſua revelata. Eſt quoque Phraſis Synecdochica & metonymica; Serium ſtudium ac *ἀνυπόκριτον* Sinceritatem, divinis mandatis per fidem vere vivam obediendi, inque fide magna, timore Domini, & charitate ſemper creſcendi, complectitur; non autem omnimodam & graduum, ſed tantum tamenque aliquam & partium perfectionem ac integritatem; non extollit humanam conſcientiam in vanam ſui fiduciam aut præſumptionem, ſed Divinæ, perque Chriſtum obtinendæ gratiæ, virtutis ac indolis fidelem & ingentem facit ſpem, excitatque pium deſiderium; nec tamen miſeriæ ac immunditiei, ſatis eheu! perfectionem intus impedientis, retardantis ac ſuffocantis, obliviſcitur! Ah quoties, & quam profunde id exequitur! "*Legis* enim *im-*"*pletio*, ait, *in nobis eſt exigua*, *& immunda*; it. "*illa inchoata Legis impletio procul abeſt à perfectio-*"*ne*, *& valde eſt immunda.* it. *Vix imbellis & exi-*"*gua Legis impletio contingit etiam Sanctis.* it. *Di-*"*lectio*, *quæ eſt Legis impletio*, *quam ſit exigua*, *quam* "*ſit immunda*, *certe experimur.* vid. p. 89. f. p. 115. lin. 18. 19. p. 121. lin. 13. 14. p. 140. lin. 4. & pag. 53. 58. 81. 84. f. 85. pr. 87. 91, 92. 93. 95.

95. 122. 128. - 133. 167. 191. 327. 328. 331. 336. 481. 482. 500. 501. 531. 532. 548. 549. 551. 563. f. 665. 641. 675. 686. 687. 688. 690. 719. 722. 723. 829. En! quam ſerio dogma, multis quidem penes ſecuros abuſibus obnoxium, ſed, *ſi fideles ſumus*, noſtri humiliativum cum dogmate, Legis impletionem bono ſuo ſenſu urgente, perite connectant ac ſocient? Unum ſerios, alterum cautos reddit & ſollicitos. Certe Legis impletio mihi videtur id in nobis eſſe, quando in cordibus motus, Legi Divinæ ſpiritu mentis noſtræ conformes atque conſentientes, ſentimus ac fovemus; in operibus autem ac fructibus fidei, amori Dei proximique, ac mortificationi internæ (& habitualis & actualis) concupiſcentiæ, omnem virtute fidei in Chriſtum navamus operam, ita ut pleno quodam animi in interiorem Legis vim, ſenſum, ac ſcopum tranſitu & conſenſu, in humili fidei obſequio recumbentes, nullum præceptum Divinum, tanquam vitæ noſtræ, etiam novæ, normam ſtimulumque, ac affectuum intus ſpeculum, recuſemus, aut faſtidiamus, ſed omnibus ex æquo, utpote æque Divinis, corde & opere fidelem gerere morem omni niſu ſimus quam promptiſſimi, nec ullam ejusmodi faciendi negligamus occaſionem. Sic Lex, i. e. Sancta DEI circa omnes caſus, res, & creaturas, (quatenus nos homines obligat) voluntas impletur, id eſt, nihil ejus faſtiditur, excipitur aut recuſatur, ſed omnia, quæ vult, fiunt, ſi non facto ſemper

externo, certè tamen interno, & coram DEI æſtimio valente. Inter hæc autem fidei ac Domini certamina, & quidem ſola, (aliasque extra ipſos iſtos agones nunquam) experimur defectus noſtros, & inſuper pravitatem affectuum in nobis, ac interiorem humanæ naturæ immunditiem; tarditatem & aſininam pigritiem, atque ſic in timore ac tremore, ſimulque tamen vero, ſerio, & non ſimulato, magis magisque creſcendi ſtudio ac exercitio, ſalutem noſtram in Veritate operari diſcimus, & quid ſit Lex in Moſe, Gratia autem & Veritas in Chriſto, patiendo ac agendo perſentiſcimus.

Sectio Specialis
diſcutit
Dubia Specialia
& quidem
Subſectio Prima
Dubia contra Aug. Conf.

§. 1. Dub. I. Art. 6. p. 10. 11. Remiſſionem peccatorum & juſtificationem, quæ tamen idem, tanquam duas diverſas res ponit.) ℞. Solet A. C. & Apol. non tam præciſe ἀκρίβειαν externam, ſpeculativam, vocularumque critice diſtinctivam, p. 50. lin. 19. 23. quam realem rerum in pœnitentis conſcientia arctiſſime unitarum complexum ſemper curare & exprimere. Obſervavit quidem dubium hoc jam

jam olim etiam ipſe D. David Chytræus, unus ex F. C. autoribus, in Epiſt. ad Doct. Andreæ &c. citante Domino Arnold. in K. u. K. Hiſt. Tom. 2. L. 16. c. 18. §. 9. Sed nec hoc Libris Symbolicis ullam adſpergit maculam! Dici etiam poſſet, quod, quando nunc juſtificationem per remiſſionem peccatorum, nunc remiſſionem per juſtificationem exponit, ſeu utrumque immediato nexu jungit, non tam diſtinctio, quam ἀναδίπλωσις ac ἐπεξήγησις ſit. Amat enim perſpicuam phraſin, & ſine fuco ſimplicem. " Sic p. 16. α) *remiſſionem peccatorum & β) gratiam & γ) juſtificatio-" nem nos tantum fide conſequi ait*, p. 17. vero: *fide in" Chriſtum apprehenditur α) gratia & β) remiſſio pec-" catorum & γ) juſtificatio.* p. 18. *Tantum fide appre-" henditur α) remiſſio peccatorum ac β) gratia.* p. 67." *Non poſſumus per Legem α) à peccato liberari ac β)" juſtificari; ſed data eſt promiſſio α) remisſionis pec-" catorum & β) juſtificationis propter Chriſtum - pro-" misſio gratis offert α) Remisſionem peccatorum & β)" juſtificationem - - Evangelium eſt proprie promiſſio" α) remiſſionis peccatorum & β) juſtificationis pro-" pter Chriſtum.* p. 71. *Evangelium offert propter Chri-" ſtum α) remiſſionem peccatorum & β) juſtificatio-" nem.* p. 73. *conſequi remiſſionem peccatorum eſt ju-" ſtificari.* p. 121. *juſtificatio eſt remiſſio peccatorum.*" p. 89. *juſtificatio eſt reconciliatio propter Chriſtum.*" conf. p. 101. 102. 119. 80. 96. 103. 117. 122. 126. 127. 131. 140. & fere ubivis. Stylo huic

ſimplici, perite practico, &, ut ſic dicam, myſticis experimentis ſubacto, nec otioſe critico aſſueſcendum, & ſic ejusmodi expreſſiones nihil quicquam offendent. Apologia *præcipuas partes*, & *opera*, energemataque *DEI* Judicis ac Patris, in corde juſtificando ſe *præcipue* ſtatimque exſerentia, ponit atque intimat. Sermo Apologiæ indolem conſcientiæ anxiæ & luctabundæ ſequitur, imitatur ac exprimit. Animus enim divino Legis ſanctæ ſenſu perterrefactus, & *in illo aſperrimo certamine deſperationis, & exercitiis fidei cum deſperatione luctantis*, tanquam *in vero DEI cultu*, per pag. 221. 262. 349. conſtitutus, modo gratiam, modo remisſionem peccatorum, modo juſtitiam Chriſti, (omnibus enim ex æquo & admodum eget) ſitit, eſurit, ambit, clamat, & anhelat, ac tanquam fulcrum & refrigerium apprehendit, apprehendere ſollicitat, tentat atque annititur. Et omnia tamen ſine errore ſic ponuntur. Neutrum enim unquam citra alterum; nec juſtificatio eſſe poteſt, ubi deficiat aut ceſſet remiſſio, ac vice verſa. Res certo ſenſu, diverſoque conſiderandi & concipiendi modo ſpectatæ, diverſam quoque ſortiuntur & appellationem & locum. Et hac ratione etiam juſtificatio ac remisſio alio ſenſu ſunt idem, alio autem non. Nunc enim ſermo diviſim, nunc junctim; nunc generaliter, complexim, & conjunctive, nunc ſpecialiter, & diſtributive accipi debet. Praxis fidei juſtificantis, & experientia ſeriæ, eandem deguſtantis,

con-

conſcientiæ, remiſſionem peccatorum, tanquam partem remotivam, juſtificationem autem, h. e. ſpecialem juſtitiæ Chriſti applicationem, tanquam partem poſitivam, ſentit ac experitur. Ut enim ſanctum Domini JEſu Chriſti meritum applicari queat, impurum peccatorum obſtaculum auferendum eſt, quod fit, ea condonando, obliviſcendo, contegendo, in maris abyſſum projiciendo, delendo, &c. Non-imputatio injuſtitiæ noſtræ præcedit Imputationem juſtitiæ alienæ. Omnia tamen quoad rem & conſcientiam ſimul ac una, nec ex intervallo. Attendendum hic diſcrimen inter momenta Naturæ (ſeu naturalis ordinis, quoad humanum concipiendi modum) & Temporis. Abſolvitur Juſtificatio (tanquam totus Divinæ gratiæ & juſtificæ ἐνεργείας actus & ambitus ſpectata) α) Abſolutione à peccatis, (tanquam judiciali liberatione) & β) Imputatione fidei, (h. e. juſtitiæ Chriſti fide apprehenſæ realiſſima adjudicatione.) Sic Apol. & A. Confeſſionis conſuetudo loquendi *rei Summam complectitur, ut populus intelligere poſſit ac videre, quid res ſit, & quid præcipue requiratur. per p.* 163. 292. *f. præcipuum uſum rerum à Deo traditarum oſtendit p.* 267. *& præcipua membra, præcipua opera DEI in hominibus*, & quæ *proprie* in ipſo actu fiunt, *ut res magis conſpici poſſit.* per p. 170. 171. 179. Sic p. 163. *remiſſionem peccatorum vocat rem maximam, & præcipuum Evangelii locum. Apol. non de vocabulis rixatur, p.* 57. 135. *de re litigat. ibid. & p.* 89. 139.

139. *Nec philoſophicas ſpeculationes aut otioſas ſubtilitates quærit, ut quarum vanitatem conſcientia in agone conſcientiæ & in acie experitur. per p. 66. 139. Et cum ſimplici animo obiter recenſeat, quæ res ipſa & principale negotium complectitur, & fontes totius negotii monſtret, acerba interpretatione conficta, ſententiam per ſe nihil habentem incommodi, arte depravari facile* poſſe & prævidit, experta & queſta eſt. p. 50. 52. 135. 141. *Non* tamen *inanem λογομαχίαν de vocabulis per p.* 136. *movere* voluit, ſed quid res ſint in guſtu ac certamine cordis humani, pœnitentisque ac piæ conſcientiæ coram judicio DEI & arbitrio Θεοπνεύςων in Scriptura Theologorum, (Prophetarum & Apoſtolorum, puto) explicare, & reali methodo luculenter ad oculum demonſtrare, ſibi propoſuerat. Et præſtitit. Sane de quæſtionibus occaſione Apologiæ agitari ſolitis verum quoque eſt ac fit, quod Ipſa p. 94. ſic ait: *In bonis & firmis cauſis una atque altera ſolutio ſumpta ex fontibus cauſa ac principalis totius negotii* (ex coll. p. 135. lin. 17. p. 141. lin. 17.) *corrigit omnia, quæ videntur offendere. Id fit & in noſtra cauſa.* Sic de ſemetipſa ex vero ſenſit. Nec indignam, autumo, locaret operam, qui de Stylo ſeu charactere dicendi, & methodo Apologiæ polemica, peculiare quoddam meletema colligeret ac elaboraret; prout quidem Ipſa varias Regulas, & copioſam ad id ipſum materiam digito quaſi indice ſæpiſſime præmonſtrat ac innuit, adeo, ut tantum veſtigia ejus prudenter legenda, & Chriſtiane premenda

menda eſſent. Sed tranſeat! Loquitur Apol. & A. C. ſic, *uti ſæpe fit in Scripturis, ut uno verbo multa complectatur* p. 88. Certe, cum Deus peccata remittit, etiam ſimul imputat fidei Juſtitiam Filii ſui; & cum imputat hanc, remittit ea. Sunt res ac operationes unitiſſimæ, inque interna cordis experientia practica quovis puncto mathematico ſemper conjunctiores, etſi mentis noſtræ præciſione ac diſtinctione in ſe quoque diſtinctiſſimæ. Hi actus, *hi magni motus*, imo paſſivæ Divinorum operum ad- & intro-miſſiones, receptiones ac amplexus ſacri, *non ita divelli poſſunt reipſa, ut in Scholis diſtrahuntur otioſis* (quandoque & per quosdam) *cogitationibus p.* 126. *Literis & vocabulis quidem diſcerni poſſunt, ſed reipſa non ita divelluntur.* per expreſſa tradita p. 162. Apol. In actuali ſane & individuali pœnitentiæ fideique exercitio ac experimento, adeoque in ſpeciali acquiſitæ remiſſionis applicatione, dum me Deus juſtum facit ſeu pronunciat, remittit mihi mea peccata, Filiique ſui Juſtitiam imputat, & donat; atque iterum, dum Filii ſui paſſivam æque ac activam obedientiam reali gratiæ judicio in me transfert, etiamque antegreſſa peccata remittit, inhærentemque immunditiem ignoſcit ac tegit, certe nihil aliud agit, quam ut, & quod me juſtificet. En ἀντιςρέφοντα! An ergo non fuerit fas ac jus, unum cum altero alternatim convertere, unum per alterum terſius determinatiusque exponere? Quidni?

§. 2

§. 2, Dub, II. Art. 5. p. 11. lin. 3. Spiritum S. ait efficere fidem; at p. 68. 83. 84. 85, 223. dicitur; per fidem dari Spiritum S. quæ videntur ἀσύστατα.) ℞. Videntur! Sed nequaquam ſunt! Certe Deus etiam per Se dat Se! Per Sua Se, & ſua per Se! Ubivis, etiam in ordinatis| Mediis, IPSE τὸ πᾶν & τὸ כָּל־בּוֹ! Dando datum datur Dator! Sic in Deo Divinoque opere, ac munere obtinet! Per ipſam Suique Suamque in pœnitentes & fideles introeuntem ἐνέργειαν, atque per Opus ſuum in cor hominis ingrediens, etiam IPSUM, qui Suo Operi ad- & in- eſt, Operantem, Spiritum ſc. Sanctum, nobis conferri, nihil implicat. Dum efficit in pio animo fidem, etiam inſtrumentum indolemque ſui appetitivam, apprehenſivam ac aſſervativam donat & imprimit. Extra citraque fidem Spiritus Sanctus nequit accipi; ipſum autem fidei medium Spiritus Sancti gratia nobis communicandum. Etiam hic utrumque ſimul. Dum Deus Creator vitam nobis dedit, etiam Se, omnis veræ vitæ fontem atque conſervatorem, donavit, Seque nobis, nosque Sibi quaſi & quodammodo indidit. Act. 17, 28. Eſai. 46, 3. in Germ. Verſ. Per vim iſtam fruendi VIVO DEO, h. e. per vitam, fruor Deo, vitæ largitore, h. e. vivo; Sic per vim Spiritum S. accipiendi, h. e. per pœnitentem veram fidem, accipio Spiritum Sanctum, fidei collatorem. Ut Deus in nobis tantum ſua dona coronat; ſic SEIPSUM in ſuis donis communicat nobis. Fidem

dem dat Deus, & fides datum ſibi Datorem, ſibi per proximiorem quandam applicationem intimius adhuc dat & conjungit. Spiritus S. ſeipſum & fidem ab Ipſomet in nobis effectam, intus obſignat. Per fidem, à Spiritu Sancto effectam, Spiritus Sanctus datur (actuali ſc. datione, acceptionem & obtentam receptionem includente ac intendente) ut Ipſe capi queat, medium Ipſe confert. Dat ſe per Suum Opus ac Donum. Per Deum Divina! Per Divina Deum! O quam profunda & mutua imeatio? Quam plana & limpida circulatio? O amœnam περιχώρησιν! Et quid totus totius Oeconomiæ Divinæ in 1.) Natura æque ac 2.) gratia & 3.) Gloria ambitus circulusque aliud clamat, monſtrat, & intendit? Annon 1.) Per Creationem creatis Creator, 2.) Per redemptionem redemptis Redemptor, & olim 3.) Per glorificationem glorificatis Glorificator datur & contingit? Verbo rem complectar: Datur quoque Spiritus Sanctus, *vel*, ut fidem primitus ingeneret, *vel*, ut eos, qui jam credunt, inhabitet; Spiritus Sanctus enim etiam nondum renatis, ac demum credituris præſentiæ ſuæ quodam modo adſiſtit, dum eos incipit regenerare, ſibique domum inhabitandam præparat, & cor ad Sui Suſceptionem attemperat, idoneumque reddit; renatis vero, & jamdum credentibus per inhabitationis modum accedit, & ſingulari ratione præſens eſt, credentemque inhabitat; Illud vocant donationem Spiritus S. ratione

aſſiſten-

aſſiſtentiæ; hoc autem ratione inhabitationis; ac Auguſtanam Conf. in Art. 5. de priori; Apol. autem loca de poſteriori intelligunt. vide Carpzov. Iſag. p. 251. 252. & autores ibid. citt.

§. 3. Dub. III. Dictum Luc. 17, 10. in Art. 6. p. 11. lin. 17, 16. ad probandam fidei juſtificationem inconvenienter applicatur.) ℞. Locus iſte Luc. 17. vi totius in art. 6. contextus & ambitûs ſcopique pleni, non præciſe, immediate, aut directe ad afferendam fidei juſtitiam, vel fidei juſtificæ rationem formalem exponendam allegatur, ſed primario ad oſtendendam juſtificationis, per opera promerendæ, impoſſibilitatem ac vanitatem; & ad avertendam propriorum meritorum fiduciam; quin etiam ad exprimendum verum genuinequeEvangelicum Bonorum Operum, ſeu Novæ Obedientiæ finem. Vix plenius, penetrantius vel ſignificantius quoddam dictum adeo apprime & apte ad omnes iſtos ſcopos faciens, producere potuiſſet A. Confeſſio. Poſcit enim 1.) Servitutem Chriſtianam, debitam licet, ſpontaneam tamen quoque, & ſemper agendo ſtrenuam ordinique divino morigeram. 2.) Humilitatem, per veram Sui, Suique pleniſſime exinanitivam cognitionem, profitendam. conf. quæ Apol. pag. 131. ſeq. ad hoc dictum nervoſe annotat. Quid quæſo hominem firmius ſtringat, & ad meram meræ gratiæ miſericordiæque Divinæ ac meriti Chriſti fiduciam plus impellat & adi-

gat,

gat, quam iſta Chriſti parabola? Servi & natura & λύτρῳ ſunt fideles, fidei additamentum ſerio rogitantes ac depoſcentes, v. 5. Chriſti diſcipuli, v. 1. Servi, v. 7, 10. non conductitii, ſed ordinarii & liberi, peculium Chriſti & propriam Ejus acquiſitionem conſtituentes, nihil promerent, omnia ex debito agunt, præter obſequii gloriam nihil reliquum habent, non ipſis Dominus, ſed ipſi Domino egent, opus habent, nihil ex ipſorum factis Domino accedit & adnaſcitur commodi. v. 10. inde ἀχρεῖοι. O miram rem! Omni labore perfecto, ſoli tamen Domino etiamnum miniſtrandum, ſupplicandum! O Monarcham Supremum, cui, quicquid boni fit, acceptum ferendum, cui omnia in ſolidum cedenda, quo ſine mera nobis ineſt nuditas & confuſio! Unum iſtud ſincero fidelium (donec veterem hominem collo circumferunt, inque novo creſcere poſſunt, i. e. ſemper) obſequio ſupereſt, ſc. jus, permiſſio ac officium, Domino, cui hactenus laboratum, porro ſerviendi & placendi, priusquam de ſe quicquam cogitent. v. 7, 8, 9. ô amorem purum! ô liberam, & ab omni Φιλαυτίας pabulo abhorrentem Servitutem! Et ſic diſponuntur formanturque animi, qui in mere gratioſa peccatorum condonatione Paternum Dominum ſolide experti ſunt ac deguſtarunt. Merum Merum Patrem expertus tanquam Merum Merum Dominum ſi veneretur, quid æquius? Atque hoc ſenſu **A. C.** & puritatem fidei juſtificæ

ab

ab operum noſtrorum influxu concurſuque,& profundam Chriſtianorum Servorum etiam in perpetuis Novæ Obedientiæ fructibus (ut myſtica voce utar) reſignationem, verumque inutilitatis ac inſufficientiæ ſuæ ſenſum per dictum Luc. 17, 10. expreſſum ivit, ut omnia in ſolidum Domino Deo noſtro aſſerantur. Ipſum autem dictum vindicat ab exceptionibus & cavillis Pontificiorum D. Carpzov. in Iſag. in LL. Symb. p. 271. 272.

§. 4. Dub. IV. Art. 6. lin. 19. p. 11. Ambroſius falſo citatur, cum non ſit autor illorum Commentariorum in Paulinas.) ℞. Expoſitionem illam in Pauli Epiſtolas Ambroſio falſò adſcribi, cenſet etiam Robertus Cocus, Anglus, in Cenſura quorundam Scriptorum Veterum, quæ vel ſuppoſititia, vel dubiæ ſaltem fidei p. 272. Simile quid fere de commentariis iſtis, ſub Ambroſii nomine exſtantibus, innuit D. Kortholt in Libro de Vita & Moribus, Chriſtianis primævis per gentilium malitiam afflictis cap. 15. ß. 1. p. 205. pr. Sed in Aug. Conf. eſt allegatio non abſoluta, ſed ſecundũ quid & hypothetica, per condeſcendentiam magis, quam ſententiam, *κατὰ δόξαν* & *κατ' ἄνθρωπον* per conniventiam facta; Ambroſius enim ex communi & vulgari ſententia, & ex conceſſione etiam Pontificiorum, inſuper etiam ob veram ipſius dicti cum perpetua Ambroſii doctrina concordiam citatur; conf. pag. 17. 18. 26. 54. 79. 80. 132. 141. ubi Idem ad demonſtrandam veræ vivæque fidei doctri-

nam

uam tanquam antiquus teſtis adducitur. Ne Confeſſores novi quicquam confinxiſſe videri & accuſari poſſent, ad veterem, vulgo pro Ambroſio habitum, Scriptorem h. l. provocarunt. Legitur autem, cujus meminit Auguſtana Conf. in Comm. ad 1. Cor. 1. Tom. V. Opp. fol. 244. edit Baſil. an 1567. quorum Commentariorum is autor credebatur. Elucet id etiam inde, quod A. C. Confutatores nihil de citatione hac monuerunt aut culparunt. Quid quod, cum ſub judice lis eſt, utrum hoc vel illud ſcriptum hunc vel illum autorem habeat, jus alterutro modo arbitrandi cuique, prout ipſi perſuaſum eſt, liberum ſit, nec alter alterum erroris ideo arguere aut convincere poſſit? Atque ita nec hic Scrupulus momenti cujusdam eſt. Menz. in Exeg. p. 203. Chemn. in Locis Theol. Part. 2. in fol. p. 286. quoque Ambroſio hunc locum tribuunt, alii vero Chryſoſtomo. Et quale σφάλμα commiſiſſet Auguſt. Confeſſio, ſi autore genuino ignorato probabilem citaſſet, an fides moresque periculum paterentur? Sed ſufficit, verba iſta in Tomis vulgo Ambroſii nomen ferentibus, extare ac reperiri. conf. Carpzov. Iſag. p. 272. f. 273. pr. Ipſiſſima quoad omnes apices verba, ab A. C. allegata, exhibet etiam Tom. 4. Edit. Baſil. de anno 1527. p. 835. f. Et quid denique juſtius tutiusque, quam ſcripta ſub eo nomine citare, ſub quo publice proſtant, exactioris autem criſews litem aliis relinquere, ſuoque inde

obtento ſcopo acquieſcere? Atqui hoc **A. C.** fecit.

§. 5. Dub. V. Pag. 11. Art. 7. Eccleſiam inviſibilem cum viſibili confundit.) ℞. Hoc dubium fateor eſſe intricatius, quam quæ hactenus obvenerunt, ac paſſim deinceps ſequuntur. Subactos etiam in Theologia Obſervatores exercuit. Sic autem infert: Aut art. 7. loquitur de viſibili Eccleſia, aut de inviſibili, aut de utraque. Si de iſta, reclamat lin. 1. Si de illa, adverſatur lin. 3. Sin de hac, obſtat integer nexus & contextus, qui diſtinctiſſima Subjecta uno eodemque definit prædicato. Verum enim vero **A. C.** videtur mihi ſimpliciſſime hoc dicere ac innuere: Semper fore pios quosdam Dei filios, Deo ſoli ſemper vere cognitos; mundo autem &c. per rectam Evangelii doctrinam, & rectam Sacramentorum adminiſtrationem actu etiam ſæpe notabiles & agnoſcendos; & ſic, niſi tricas inferamus, ni fallor, fluent cuncta facile. Illud enim Papicolis utique conceditur, quod ſub & inter ipſa Tyrannici Papatus tempora etiam in Eccleſiis, Romanæ Curiæ ſubditis, ſemper electi & Sancti homines fuerint, ſintque etiamnum; quamvis totus ipſorum cœtus externus Sanctorum Fideliumque, Evangelio & Sacramentis recte utens, Congregatio non poſſit dici aut haberi. Loquitur etiam **A. C.** in art. 7. de Eccleſia quoad eſſentiam ſpectata; in 8vo autem quoad exiſtentiam; ſeu: Loquitur h. l. de Eccleſia, non prout ſæpe eſſe ſolet,

ſed

ſed prout in ſe & naturali ſtatu ſuo eſſe debet. conf. Apol. p. 146. 148. "Sæpe quidem fit, ait D. Carpzov. Iſag. pag. 306, ut vel ſub Ty-" rannis in abſcondito lateat, vel ſub corrupto " Miniſterio etiam degat, non tamen ceſſat " eſſe Eccleſia;" quanquam laxe, non autem proprie, ſtricte ac principaliter dicta, uti vocabulum Eccleſiæ A. C. h. l. uſurpat. conf. art. 7. & Apol. p. 144. 146. 149. 154. Diſtinctio Eccleſiæ in viſibilem & inviſibilem non facit ex una duas, ſed ſaltem unam eandemque diverſo modo conſiderat, per Carpzov. p. 306. l. c. Etiam dici poſſet, imo omnino debet, Aug. Conf. in lin. 1. art. 7. loqui de Univerſali Eccleſia; lin. vero 2. & 3. de particulari quavis, quæ de illa Una Catholica Eccleſia eſt, & hic ac nunc, aut illic ac tunc ſic exiſtit, prout JEſus caput & Dominus Eccleſiæ juſſit ac diſpoſuit. Nec etiam eodem ac uno effato utitur A. C. de Eccleſia; de Univerſali enim ait: perpetuo manſuram, id eſt, ſemper futuros, qui Deum timeant, vimque Chriſti intus agentis admittant & experiantur; de particulari autem ac vera Eccleſia: quod ſit 1.) congregatio Sanctorum 2.) in illa Evangelium recte doceatur &c. 3.) hypocritas & malos admixtos habeat. vid. art. 7. & 8. Nihil quoque abſurdi prævideo, ſi dicamus, art. 7. deſcribere Eccleſiam inviſibilem ac omnium temporum lin. 1. (imo videntur Confeſſores Papiſticæ objectioni ſatisfacere & prævenire voluiſſe, taciteque ad quæſtionem: Ubi Eccle-

ſia ante Luther. fuerit? reſpondere) viſibilem autem, in quantum hæc preſſiſſime ſtrictiſſimeque verum Chriſti regnum & Societatem Spiritus Sancti in cordibus, atque etiam externarum notarum conſtituit, & per intrinſecam ſuam naturam eſſe debet, lin. 2. - 4. Articulo 8. autem eandem viſibilem quidem, ſed quatenus non quidem ex hypocritis ac ex credentibus conſtat, ſed tamen hypocritas & malos ſibi admixtos habere, & prout eſſe ſolet; adeoque omnia ubivis ſub alio concipiendi & prædicandi modo. Uno verbo:

Eccleſia ſpectatur vel ut (univerſalis. (particularis.
art. 7. (debet)
& hæc vel prout eſſe (ſolet) articul.
(7. lin. 2, 3.
(8vo.

Et certe, Apologia hunc articulum adeo plane, liquide, Chriſtiane, ac diſtincte expoſuit, ut mea conſcientia nihil quicquam deſiderare queat. Nam quod per nonnullos diſtinctionis Eccleſiæ in Viſibilem & Inviſibilem, in Univerſalem ac particularem, non ſatis accuratam & explicitam videtur habuiſſe rationem, tanti non cenſeo, nec eſſe video, & varie quoque eidem ſubveniri poſſe, hactenus puto; quod ſi non omnimode; certe tanquam leve parorama condonandum. Rem poſuit, etſi diſtinctiva rei nomina non expreſſit. Conſideratio eorum, quæ in art. 7. & 8. de Eccleſia prædicantur, diverſam quoque Eccleſiæ conditionem, reſpectum, ſtatum,

&

& acceptionem ſuggerit; talia enim ſunt ſubjecta, qualia permittuntur à prædicatis, & ſic cujusque Subjecto, ſuum tribuendo prædicatum, omnia juſta ac plana. De univerſali & inviſibili rem ex primis art. 7. verbis claram puto; de viſibili vero, late, & tantum ſecundum quid tali, proutque eſſe ſolet, ex art. octavo; Reſtat, ut de Eccleſia proprie & ſecundum omnia Chriſti requiſita tali, (de qua art. 7.) ulterioris reſponſionis ergo nonnihil addam; faciam id ipſiſſimis Apol. verbis ac ſenſu: *Eccleſia principaliter eſt Societas fidei & Spir. S. in cordibus, quæ tamen habet externas notas, ut agnoſci poſſit, videlicet, puram Evangelii doctrinam, & adminiſtrationem Sacramentorum, conſentaneam Evangelio Chriſti. Et hac Eccleſia ſola* (ſcil. *ex ſolis Sanctis ac vere credentibus conſtans* coll. p.499.) *dicitur corpus Chriſti, quod Chriſtus Spiritu ſuo* 1.) *renovat* 2.) *ſanctificat &* 3.) *gubernat; ut teſtatur Paulus Eph.* 1. *cum ait: Et IPSUM dedit CAPUT ſuper omnia Eccleſiæ, quæ eſt corpus Ejus, videlicet, Integritas, i.e. tota congregatio Ipſius, qui omnia in omnibus perficit; Quare illi, in quibus nihil agit Chriſtus, non ſunt membra Chriſti p.* 145. *Eccleſia ſignificat congregationem Sanctorum, qui habent inter ſe Societatem ejusdem Evangelii ſeu doctrinæ, & ejusdem Spiritus Sancti, qui corda eorum* 1.) *renovat* 2.) *ſanctificat, &* 3.) *gubernat p.* 146. *Qui peccator eſt aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici. p.* 146. *ex Hieron. Eccleſia eſt vivum Corpus Chriſti. ib. Eccleſia eſt populus ſpiritualis, verus populus Dei, renatus per*

"*per Spiritum Sanctum p.* 146. *Eccleſia eſt regnum* "*Chriſti diſtinctum contra regnum diaboli. p.* 147. "*Semper hoc eſt regnum Chriſti, quod Spiritu ſuo vivificat. p.* 147. En ſatis terſam A. C. & Apol. de Eccleſia doctrinam, ut quidem meæ inſidet ac videtur conſcientiæ!

§. 6. Dub. VI. Art. 8. pag. 12. pr. dictum Matth. 23, 2. quod tantum de miniſterio verbi prælegendi loquitur, inconſequenter etiam ad reliquos Officii Paſtoralis actus extenditur, adeoque male ad totum Miniſterii Eccleſiaſtici ambitum applicatur.] ℞. Non eſt, ut impii Miniſtri articulum 8. A. C. in aſylum ſuum & advocatum converſum eant; non enim in ipſorum excuſationem &c. ſcriptus eſt, ſed in ſcrupulos patientium confirmationem ac ſolatium. Non probat A. C. malos aut hypocriticos verbi Miniſtros, ſed conſcientias tentatas ac perturbatas extricat juvatque, & caſum tantum conſcientiæ (*an liceat uti Sacramentis, quæ per malos adminiſtrantur? Senſerant enim quidam: homines peccare, accipientes Sacramenta ab indignis in Eccleſia per p.* 150. *f.*) format, eumque nervoſe decidit, quod Miniſterii Efficaciæ nihil inde decedat, & quod quis cum effectu, malorum miniſterio hactenus uti (& quidem citra peccatum, ſeu ut Apol. p. 144. lin. 28. loquitur, recte) poſſit; idque exemplo Chriſti, ad Phariſæos, quatenus verbum ex Moſe & Prophetis prælegebant, ac in Subſtantialibus ſuis Sacramenta adminiſtrabant, & ſic ordinaria vocatione fungebantur, conf. Apol. p. 147. lin.

lin. 13. - 16. homines iſtius temporis ablegantis, corroborat, q. d. ratihabuit Chriſtus impiorum iſtorum hominum officium, in quantum ordinaria ad docendum & Sacramenta adminiſtrandum vocatione fungebantur, verboque Domini ſtricte adhærebant, Ergo & nos in miniſtris, etiam malis, idem debemus ac poſſumus ratihabere. *Quousque* enim mandatum & ordinatio Dei Chriſtique ab illis non læditur, aut vim patitur, verbum &c. efficax eſt; *quando autem impia docent, deſerendi " ſunt, nec audiendi, nec iis conſentiendum, quia hi " jam non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt Anti- " chriſti; nec jam ſic docent, ut IPSE Chriſtus audia- " tur; Chriſtus autem vult IPSE audiri, & ſuam vo- " cem, ſuum verbum.* Per expreſſa tradita A. C. & Apol. p. 39. ſ. 155. ſ. 296. pr. conf. D. Carpzov. Iſag. p. 314. 315.

§. 7. Dub. VII. Art. 9. p. 12. ait: Baptiſmus eſt neceſſarius ad ſalutem. Eſt autem Baptiſmus Bonum Opus; Ergo quoddam B. O. eſt neceſſarium ad ſalutem?) ℞. Argumentum forma laborat, nec ulli Syllogiſmorum modo convenit. Sed mitto argutias iſtas! Baptiſmus non audit Libris Symbolicis Bonum Opus, ſed verbum Dei cum merſione in aquam ſecundum Ipſius inſtitutionem & mandatum, ſeu; lavacrum in verbo. p. 329. aqua Divino mandato comprehenſa, & verbo Dei unita p. 376. 537. &c. Eſt quidem etiam ſuo ſenſu utique vere Bonum Opus, ſed potius à Deo, quam à nobis factum; IPSE enim nos

baptizat, ut expreſſe loquitur pag. 253. lin. 24. - 28. baptiſmalemque gratiam confert ac præſtat, nos tantum Theſaurum recipimus vid. Lutherus in Catechiſ. Major. p. 541. qui dicit: *Baptiſmus non eſt noſtrum, ſed Dei Bonum Opus* &c. ubi ad hoc ipſum ſeptimum dubium ſatis reſpondet Lutherus. Eſt denique Baptiſmus ad ſalutem neceſſarius, ſed duntaxat ob mandatum & ordinationem Dei, & quia ex inſtituto Divino eſt medium, ſalutem & conferendi, & obſignandi, qualem in æternam ſalutem influxum & adquiſitionem ejus, Bonis noſtris Operibus nemo, rerum humanarum æque ac Divinarum peritus, arrogaverit, aut ullo modo arrogare auſerit!

§. 8. Dub. VIII. Art. 2. pag. 10. lin. 3. 4. & art. 9. p. 12. lin. 11. 12. 14. videntur infantibus & infidelium & Chriſtianorum, cita morte abreptis &c. ἀβαπτίστοις ſalutem ſimpliciter denegare.) ℞. Affirmat quidem id; & ab A. C. ll. cc. ſententiam condemnatoriam in illos infantes abſolute putavit ferri; ac Hunnium, Meiſnerum & Geſnerum ἐπέχοντας refutatum ivit D. Tarnovius in Joh. p. 265. citante D. Carpzov. in Iſag. pag. 152. - 154. 174. quæſt. 18. "Sed reſpondet D. Carpzov. quoque l. c. ſic 1) "A. C. loquitur de illis, qui plane non regenerantur, 2.) infantes iſtos Deum *modo ſibi* "*cognito & extraordinario*, in caſu neceſſitatis à "ſe immiſſo, nec velle nec poſſe regenerare, "& id præſtare, quod alias per media à ſe in-"ſtituta ordinarie facit, A. C. non negat. 3.) quid

quid ad nos judicium circa paganos ferendum, 1. Cor. 5, 12. 4.) aliud eſt judicium, " quod fertur de ſtatu infidelium, quatenus tales ſunt & manent; aliud vero eſt judicium " de modis convertendi infideles. 5.) Joh. 3, 5. " nonniſi de ordinata Baptiſmi Neceſſitate, & " de tali, quæ nos homines obligat, ne baptiſmum ſpernamus, agit, non autem de abſoluta, nec de tali, quæ Deum alliget huic medio. Sicque etiam Proteſtantes in A. C. ſenſerunt. Et huic ἐπιεικέια ſolidæque diſcuſſioni non eſt, quod addam; ſatisfacit enim conſcientiæ meæ, &, ut ſpero, aliorum quoque &c.

§. 9. Dub. IX. Antithéſis art. 12. p. 13. lin. 4. phraſin Biblico-Johannæam 1. ep. 3, 9. 5, 18. damnat.) ℞. Non de nuda mutilaque phraſi, ſed de ſenſu & applicatione phraſεως quæritur. Nec formula loquendi, verum totus ei affictus ſenſus, ac inde emanans dogma improbatur. Et vox, & contextus, & mens Johannæa Biblicaque ſecus docent, quam ii, quos l. c. A. C. tangit. Johannes ἀδυναμίαν peccandi non ex iſta tanta inexiſtente perfectione, ſed ex reduplicativa, actuali, intusque permanente ſeminis Divini Inhæſione, participatione, ac μονῇ in regenito derivat. Sane ex Deo genitum, qua talem, *nec* facere aut meditari peccatum, tanquam oblectans aliquod ingenii ſui Poëma, (ποιεῖν) ſenſu Johannæo, *nec* poſſe, aut robur inclinationemve habere ad peccandum, ſecundum id, quo &

F 5 in

in quantum renatus eſt, quis pius ſeriusque neget? Et ex Deo regeneratum, ſuique vigilem, ſollicitum, & cohibentem retinentemque Obſervatorem ac Cenſorem, à Maligno non incendi, nec teneri, aut contingi, eſt illud piorum & per Chriſtum liberatorum Dei filiorum privilegium & jus, quo Satanæ telis ac peccati dominio ſuperiores ac ἄσυλοι evaſerunt. Sed ah! quanta, quanta ſtanti opus circumſpectione, ne cadat? Huc faciunt Libb. Symb. p. 673. 4. verba: *Homo converſus tantum atque tamdiu bene operatur, quantum & quamdiu à Deo per Spiritum S. ducitur, regitur & gubernatur. Rom.* 8, 14.

§. 10. Dub. X. Art. 15. p. 13. lin. 30. Ritus Eccleſiaſticos vocat cultum, quod p. 151. 212. totidem verbis negat.) ℞. Verba p. 13. talis cultus &c. non cumulative, ſed diſtributive accipienda; nec enim A. C. concedit, ritus &c. illos eſſe cultum, nec tantum negat, cultum hunc recte intelligi, & ad juſtum finem requiri; ſed etiam ex cultus cenſu numeroque plane excludit ritus, ac negat, illos eſſe cultum. Eadem diſtributive capienda phraſis occurrit p. 41. lin. ult. & p. 31. l. 5. Conf. Carpzov. Iſag. p. 438.

§. 11. Dub. XI. Antitheſis art. 16. pag. 14. lin. 16. & Apol. p. 215. l. 15. ait; Evangelium poſtulat, præcipit conſervationem Politiæ; & tamen p. 215. 216. quoque dicunt: Evangelium non fert Leges de Statu Civili.) ℞. Vocabulum Evangelii, cum p. 13. & 215. dicitur,

quod

quod poſtulet ac præcipiat Politiam & Oeconomiam conſervare, tanquam Ordinationes Dei &c. non in propriiſſima ſignificatione, quam in juſtificatione habet, aut ſtricte accipitur, ſed in ſenſu ſuo largo, & aliquantum latiori, pro univerſa in Eccleſia ſonante ac recepta doctrina; Evangelium ſtricte & arcte dictum non diſſipat Politiam, nec Leges de ſtatu Civili fert; generaliter autem ſic dictum poſtulat conſervationem Politiæ, conf. p. 145. f. & 710. 717. 822. de latiori & ſtrictiori Evangelii ſignificatu. & Carpzov. Iſag. p. 458. 459. Magnum etiam diſcrimen intereſt inter id, quod Evangelii doctrina prohibeat ordinationum civilium diſſipationem, & quod non ferat Leges de ſtatu Civili; Sunt enim diverſa prorſus, nec iſtud hoc involuit, id, qua quis Chriſtianus eſt, hoc, qua Magiſtratus, facit. Evangelium non imperat rebus ſæculi; ſed ut pie ſe iis attemperet, Chriſtiano mandat. Nulla ergo contradictio!

ſ. 12. Dub. XII. Art. 18. p. 15. lin. 6. Auguſtinus, tanquam autor eſſet Hypognoſticωn, falſo citatur.) ℞. Habentur verba ipſa Tom. 7. Opp. Auguſt. f. 1371. Subdubitavit quidem Eraſmus, & alii, an Libri hi eſſent Auguſtini, ſed tamen ſaltem dubitaverunt, nec litem definire potuerunt, aut voluerunt; unde ſalvum cuique jus pro ſuo allegandi remanet arbitrio. Jam vero ſupra dictum, veteres autores in LL. Symb. ſæpe tantum per συγκατάβασιν & indulgentiam ad vulgarem citandi conſuetudinem

nem adduci. Sic etiam hic Libri Hypomneſticῶn, ut alias vocantur, & effata in illis comprehenſa non tam ex ſua, quam ex plerorumque Pontificiorum, tum docentium, ſententiâ ſub Auguſtini nomine ab Aug. Conf. allegantur & ut novitatis inſimulatio averteretur, ad autoritatem veteris, pro Auguſtino habiti Scriptoris provocatum eſt. vid. p. 129. Apol. lin. 23, 24. Nec Pontificii tum temporis leguntur aliquid hic reprehendiſſe, aut Noſtrates falſitatis accuſaſſe. Si quis vero Auguſtinum, tanquam vere certoque genuinum hypognoſticῶn autorem, à peritiſſimis A. C. Conſcriptoribus citatum eſſe putet, incumbet ipſi onus demonſtrandi. Saltem ſola nominis, tali occaſione, tempore, & modo, facta appoſitio id nondum apodictice evincit. Id unum annoto & addo, quod hi ipſi Libri in Germanica Syracidis Verſione, quæ nuper demum prodiit, ac, ut opinor, viris in Eccleſiaſtica antiquitate verſatiſſimis originem debet, etiam tanquam Auguſtini p. 296. allegentur; Rob. Cocus tamen, Anglus, in Cenſura quorundam Scriptorum Veterum (quæ ſub nominibus Sanctorum & veterum autorum citari ſolent, cum vel ſuppoſititia ſint, vel dubiæ ſaltem fidei) p. 352. 353. eosdem incerti autoris eſſe vult, ubi tanquam teſtes adducuntur Lovanienſes, Eraſmus, Angelus Rocca, Bellarminus, Andreas du Valÿ, Doctor Sorbonicus. Locum ipſum ab Auguſt. Conf. citatum contra Pontificios ex ipſo Bellar-

Bellarmino vindicat Carpzov. Iſag. pag. 486. Conf. quæ dicta ad Dub. 4. §. 4. ſupra.

§. 13. Dub. XIII. Art. 20. p. 17. 18. Auguſtinus pro fidei Juſtitia citatur, qui tamen in Libro de Spiritu & Litera Auguſtanæ Confeſſioni contrarius eſt.) ℞. Obſervavit etiam hoc D. David Chytræus jam olim tempore F. C. conſcriptæ, & provocavit ad Librum quempiam, in quo ab aliquo in Pomerania diſſenſus totius Libri Auguſtiniani de Sp. & Lit. ab Aug. Conf. oſtenſus ſit, & quod Auguſtini opinio de Juſtificatione plane Formulæ Conc. adverſetur, in Volum. Epiſt. pag. 1132. 1118. apud Dn. Arnold in Hiſt. Eccl. T. 2. L. 16. c. 18. §. 9. Verum Confeſſores, præſertim Lutherus, ex cujus 17. articulis inſuper Aug. Confeſſio collecta eſt, Auguſtino, *cujus* per p. 35. *non fuit tum temporis levis autoritas*, erant addictiſſimi, eumque nocturna diurnaque manu tritum, ut conjectura mea fert, in vero ipſius ſenſu perſpexerint, nec contra mentem aut contextum, nedum toto Libro refragante, allegare auſi fuerint, præprimis iſto tempore, quo Auguſtinus plus legebatur, audiebatur, & fere valebat, quam Scriptura ipſa; & loca in LL. Symb. paſſim ex ipſo allegata, doctrinam de fide cum A. C. conformem ſpirant; unde eousque his veſtigiis inſiſto, ac documentis, quæ aliqualem convictionem ſubminiſtrant, fidem adhibeo, donec ipſius forte etiam aliquando legendi copia fiat. Producunt vero, quorum ſtatus,

ſors

ſors & ætas lectionem ejus forſan impoſuerat, vel permiſerat, loca non una fidei doctrinam Noſtræ conſentaneam exprimentia, ſatisque valida, quæ ὁμόψηφον A. Confeſſioni Auguſtinum evincant. v. c. in Pſalm. 70. conc. 2. Libb. de Nat. & Grat. capp. I. VI. VII. IX. Epiſt. 105. ad Sixtum. Lib. 19. de Civit. Dei. c. 27. Sermo 49. de Temp. adeo ut Stapletono l. 2. de Juſtif. cap. ult. & M. Antonio de Dom. l. 7. de Rep. cap. 10. Num. 192. 197. male audiat, ac ſi modum diſputationis adverſus Pelagianos exceſſerit, & meritis minus tribuerit, quam reliqui Patres. Opera & Merita omnia ab Auguſtino in oppoſitione Fidei excludi, in compendio teſtimonia legi poſſunt apud Gerhard. Tom. 3. in Loc. de Juſtific. §. 159. p. 774. 959. ſeq. conf. ipſe Liber de Spir. & Lit. quem Auguſtinus ſcripſit; Lib. 4. contra Julian. c. 3. it. Lib. de peccatorum meritis, & remiſſione, aliique, qui extant Tom. 7. Opp.; Citat quoque aliqua horum Carpz. Iſag. p. 517. 518. 522. adde Chemnit. Part. 2. LL. Theol. p. 674. Prodiit anno 1703. Argentorati D. Seb. Schmidii gründliche Erſuchung der Meynung Auguſtini von der Rechtfertigung deß Sünders für GOtt, und der ewigen Gnaden-Wahl GOttes. In quo libello Auguſtinum in doctrina Juſtificationis Evangelico-Lutheranis conformem evincit ex Opp. Aug. Tom. VII. c. 7. & 8. & demonſtrat α) Auguſtin. diſtinguere nobiſcum inter remiſſionem & renovationem §§. 3. 4. β) remiſſionem peccatorum

catorum Eidem eſſe actum Dei cum homine vere judicialem, renovationem autem opus Dei in hominis natura, quo ipſam immutet & in alium ſtatum transferat §§. 5. 6. à p. 25.-31. adeoque à Papiſtis diſſentire. γ) ne quicquam obſtare vocis uſum, quo *A*uguſtinus per Juſtificationem quandoque renovationem intelligere videatur §. 6. à p. 31.-43. in re enim inter *A*uguſtini & noſtram doctrinam eſſe conſenſum, & non ſine fundamento dubitari poſſe, an *A*uguſtinus vocem Juſtificationis tantummodo de Renovatione & Sanctificatione intelligat, id quod oſtendit ex Lib. II. c. 14. 20. & 28. de Merit. & Rem. pecc. ubi vox Juſtificatio (Rechtfertigung oder Gerechtmachung) in ſignificatione ſua forenſi de abſolutione à peccatis uſurpetur; conf. Tom. 3. Lib. de Spir. & Lit. c. 26. it. Tom. II. p. 586. à p. 43. - 50. it. Lib. II. de Pecc. Mer. & Rem. c. 27. à p. 51. - 96. & c. 4. de Pecc. Mer. & Rem. à p. 96. - 109. it. Lib. I. de Grat. Chr. capp. 12. 13. 30. à pag. 223. - 248. atque ſic D. Schmidius ll. cc. ſatis ad Dubium hoc 13. reſpondet, quem conſule, ſi lubet.

§ 14. Dub. XIV. *A*ug. Conf. & Maj. Luth. Catech. p. 22. & 456. videntur matrimonii, ſeparatim inter maſculum & fæmellam exiſtentis, ortum, ex peccato & carnali appetitu derivare, cum dicunt: Deus inſtituit conjugium, & ut eſſet remedium humanæ infirmitatis, & ut aliquatenus libido carnis caveri poſſit, cum tamen ante ingreſſum pecca-

peccati, libidinis & infirmitatis in hominem, inſtitutum legatur!) ℞. Videntur quidem propemodum aliquali ſpecie loci citati aſſerere, cupiditatem in *Adamo*, carnem concupiſcente, humano, & inter marem fæmellamque ſocio quidem, ſed tamen diviſo, conjugio ac τεκνογονίας inſtituto cauſam dediſſe; ſi nimirum τὸ inſtituere ſtricte pro originali primævaque à Deo Creatore primitus facta ordinatione accipiatur, uti id fit p. 202. lin. 12. & 13. it. p. 240. lin. 11. in eadem conjugii materia; in alia autem pag. 343. f. Inde enim, ſi quidem pag. 22. & 456. æque preſſe caperetur, neceſſario ſecuturum eſſet, Deum ſtatim initio creato genere humano conjugium inſtituiſſe, ut eſſet remedium humanæ & *Adamæ* infirmitatis, & ut aliquatenus libido carnis caveri poſſet, quod ſane Lapſum, Peccatum, Libidinem, & ſubſecutam miſeriam ante conjugii, ſeperatos inter ſexus reciproci, ſtatum atque inſtitutionem inferret. Sed apage, ut LL. Symb. opinionem cum illo in Batavia infami Beverlando prorſus communem aſſuas aut imputes; evertit eandem una cum dubio vixdum prolato p. 238. 239. & p. 455. pr. Et ſi Inſtitutionem pro ordinatione poſt lapſum etiam adnata accipias, ac in ſenſu ſuo generali; vel ex p. 240. lin. 13. pro oblatione, & divina remedii propoſitione, ac traditione, ex pag. 246. lin. 14. 15. ex iſtis difficultatum umbris emerſeris! Loquitur certe tota pag. 22. præcipue de matrimonio, una cum

finibus

finibus poſt peccatum in humano genere obviis neceſſariisque conſiderato, quod non obſcure innuit τὸ Porro lin. 31. præſertim, ſi pleniorem ad A. C. pag. 22. Apologiæ commentationem à pag. 237. f. Primum. - usque ad p. 240. incluſ. occurrentem (quæ etiam ſimul ſolida æque ac diſtincte prolixior præſentis dubii diſcuſſio eſſe poterit) conferas, & digne expendas. Nec ſequitur: τὸ inſtituit &c. p. 202. & 343. ſtricte ſumitur, ergo etiam debet ſic capi p. 22. & 456. Quid denique impediat, quo minus matrimonium quoad omniſciam Dei præviſionem etiam ſtricte loquendo, ob iſtos, peccato dein ingreſſo, demum manifeſtatos fines, inſtitutum ac ordinatum eſſe, dicere liceat; ſicut Parentes liberis nondum ægris aut indigentibus, antea de neceſſariis medicaminibus vivendique mediis quandoque ſolent proſpicere, quam ipſi id cogitant, ſibi opus aut utile fore; ſicut etiam Deus multa prædefinivit ac ordinavit, antequam ſic aut ſic neceſſaria vel utilia erant, actuve ſecundo ſe exſerebant (e. g. Legis dationem, Filii miſſionem, Pœnitentiam, Remiſſionem peccatorum, Fidem in Chriſtum Mediatorem, Sacramenta, Verbum Propheticum & Apoſtolicum, Piorum crucem, præmia Pietatis, pœnas impiorum æternas &c.) Sic etiam finem uſumque matrimonii, tanquam remedium uſurpandi medicinale, poſt peccatum demum revelatum, prædeſtinare potuit, ac citra omne dubium fecit; decretum enim ac voluntа-

luntatem Dei æternam præcedaneamque monſtrat ac exprimit executio & manifeſtatio in tempore ſuccedens, conf. 1. Cor. 7.

§. 15. Dub. XV. Aug. Conf. Apolog. & Art. Smalc. p. 24. 212. 262. 292. ſ. 305. 306. accuſant, improbant, & tanquam inquinatam arguunt Miſſam Pontificiorum, quæ, & quia ab indignis, tantum propter mercedem aut ſtipendium in templis eam celebrantibus, & invitis, mercede conductis, ac quibuslibet ſine diſcrimine ad Sacerdotium admiſſis; imo etiam ab impiis ac perditis nebulonibus præſtetur atque adminiſtretur; ſicque paginis 12. lin. 3, 4, 6, 7. pag. 144. lin. 18, 19, 25. - 29. p. 148. lin. 6, 7. p. 150. 19. - 28. p. 155. lin 28. - 31. & paginæ. 554. ſ. lin. 24. - 35. & p. 555. lin. 1. - 12. p. 731. ſ. lin. 32. ſeq. pag. 732. fere toti expreſſe contradicunt; quandoquidem A. C. Apol. Luth. Cat. & F. C. ex Luthero inibi affirmant; „ Sacramenta efficacia eſſe, etiamſi " per malos exhibeantur, nec malorum mi- " niſterium inutile & inefficax eſſe, imo Sa- " cerdotem profligatæ vitæ, etiam perditiſſi- " mum nebulonem, quique vitæ eſt diſſolu- " tioris, improbus & ſceleratus, tamen recte " cœnam Domini adminiſtrare, tractare ac " exhibere poſſe; quæ omnia ipſiſſima ſunt & expreſſiſſima verba locorum citatorum; unde videtur emanare contradictio, aut commiſſio ejus nævi vitiique, quod in ſuis adverſariis jure culparunt Confeſſores p. 105. ſ. ſic enim Noſtrates ſibi facile ignoſcentes, aliis autem non

item

item apparent, & ipſi docere, quod in Pontificiis reprehendunt, adeoque à dilectione alieniſſimum quid perpetrare?) " ℞. Confeſſores ll. cc. id duntaxat evictum eunt, quod " apud adverſarios ſuos Miſſæ non videantur " fieri majori religione, quam apud ipſos; & " quod longe maxima publicaque omnium " bonorum virorum diu fuerit querela, quod " Miſſæ turpiter profanarentur, collatæ ad " quæſtum, quod à talibus celebrentur, qui " tantum propter mercedem aut ſtipendium " agant, p. 24. inviti, tantumque ex opere " operato, unde etiam fiat, ut publica ſuarum " Eccleſiarum forma apud ipſos honeſtior ſit, " quam apud Papæos, id quod demonſtrant " 1.) quoad S. Cœnæ adminiſtrationem, 2.) " quoad cantiones, earumque ſalutarem finem, 3.) quoad catecheticam informationem, 4.) quoad conciones, 5.) quoad concionum argumenta, 6.) quoad carnis diſciplinam, p. 212, 213. Rem deplorarunt Confeſſores, & redarguerunt adverſarios, quod " querelas Eccleſiarum & piarum mentium " non audirent, dignitates & opes ſuas fortiter tuerentur, interim Statum Eccleſiarum " negligerent, nec curarent, recte doceri Eccleſias, & Sacramenta rite tractari, ad Sacerdotium quoslibet ſine diſcrimine admitterent, ſuas traditiones longe accuratius ſervari poſtularent, quam Evangelium; in graviſſimis & difficillimis controverſiis, de quibus populus miſer cupit doceri, ut habeat "

" aliquid certi, quod ſequatur, non expedi-
" rent bonas mentes, quas dubitatio acer-
" biſſime cruciet; tantum vero conclamarent
" ad arma; p. 292. hinc ipſos ſic graviter allo-
" quuntur p. 293. oportebat vos videre lachry-
" mas miſerorum, & audire miſerabiles que-
" relas multorum bonorum virorum homi-
" numque, quas haud dubie reſpicit & exau-
" dit Deus, cui aliquando rationem procura-
" tionis veſtræ reddituri eſtis. Hactenus A-
pologiæ verba. Non Miſſas in ſe ſpectatas, ſed uti tum adminiſtrari ſolebant, arguunt ob abuſum & Miſſificorum flagitia, quæ vel ipſe Caſſander diſſimulare noluit, quando apud Dn. Carpzov. Iſag. p. 791. ſic loquitur:
" Hoc ingenue fatendum eſt, quod ab Eccle-
" ſiaſtica parte magna occaſio præbita eſſe vi-
" detur, unde non temere quidam impulſi
" ſunt ad eam opinionem acerbius inſectan-
" dam, videlicet cum tanta multitudo Miſſa-
" rum paſſim ſumma negligentia celébretur,
" & nonnunquam à viliſſimis & impuriſſimis
" hominibus, hanc actionem, tanquam quod-
" dam opificium, unde vitam traducant, quæ-
" ſtus tantum cauſa obeuntibus, ad quam mul-
" titudo ſæpe improborum & ſceleratorum
" hominum concurrit, nihilque aliud inde re-
" fert, quam quod ex eo ſpectaculo Sanctita-
" tem ſibi aliquam accedere putant, quamvis
" ipſi de vitæ mutatione nihil cogitent, imo
" ſæpe à quotidiana Miſſæ auditione ad ſua
" uſitata flagitia & ſcelera ſe convertant, &c.

Sic

Sic Eccleſiæ Pontificiæ, Sacerdotum, populique mores, Miſſæ profanativos & conſpurcativos expreſſit Caſſander ipſe. En! cauſas, cur opus Miſſæ, cum Pontificiis opinionibus conjunctæ, etiam ab impio ac perdito, invito, & mercede conducto nebulone præſtitum, tanquam profanationem quandam & turpitudinem adverſariis exprobrent Noſtrates. Indignum enim certe ac jure reprehendendum erat, quod Romanenſis Curiæ vitio & culpa ſceleratiſſimi id celebrarent, in cujus eſſentialem ac integram conſtitutionem miniſter ſuo quodam influxu per ipſorum theſin concurrere debebat; ac proinde, quia ipſi Sacramenta ab intentione Miniſtrorum ſuſpendunt, nihilominus tamen ſimul impios nebulones ad id conducunt & admittunt, penes ipſos talis LL. Symbolicorum elenchus & epanorthoſis tanto majori jure ac neceſſitate uſurpari adhiberique poteſt hodie; etiamque poterat olim à B. Confeſſoribus. Quibus obſervatis & applicatis, Libros Symb. nihil quicquam ſibi contradicere pateſcet. Docent quidem, impietatem miniſtrorum efficaciæ Sacramentorum non derogare, ſed negant Sacramenti ab intentione miniſtrorum dependentiam. Confer tamen, quæ quoque ad dub. 6. §. 6. h. cap. dicta.

§. 16. Dub. XVI. Ambroſii phraſis ac dictum *ἀ*. & *ἀντίγραφον*: Semper pecco! pag. 26. lin. 5, 6. approbatur; ut & impertinenter omnino allegatur; ſic enim ſacramentali

cœna ſemper utendum, ſi ſemper inibi præciſe medicina quærenda. Et quæ medicina eſt, quæ morbo nunquam medetur? inſuper videtur hic Pater ſibimet contradicere in Apol. p. 54. ubi non eſt, ait, anima ad imaginem Dei, in qua Deus non ſemper eſt; Et Hieronymus quoque Eidem fere adverſatur, in Apol. p. 146. dicens: Qui eſt peccator aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.) ℞. Nudus quidem vocum ſonus Scripturæ teſtimoniis videtur & adverſus & deſtitutus, piisque ac teneris conſcientiis durus auditu; quamvis nec æquipollentes biblicæ forſan defuturæ eſſent locutiones, ſi aut animus aut opus foret, ut conquiſitæ adducerentur. Verum ſenſus Ambroſii Patris eſt penetrandus. Nec erit, quod jure culpes! Semper, inquit, Lib. IV. de Sacramentis cap. 6. pag. 440. Edit. Baſil. de anno 1567. (quamvis Rob. Cocus hos libros ſuppoſititios eſſe, nec puros putos Ambroſii, neceſſariis evinci poſſe argumentis, ſentiat in Cenſura quorundam Scriptorum Veterum p. 266. ſeqq.) pecco, i. e. morbum (ſubdit enim ſtatim de medicina) ſeu peccatum, tanquam vulnus animæ ſemper vivum ac fluens, ſentio; peccatum εὐπερίστατον circumfero, in me habitans, & qua data porta, proruens, ſeſeque ſubinde movens, ac ex intervallo rediens; & me invadens adverto. Semper pecco, i. e. in quantum à perfectione Legis abſum, ac defectibus in- & ex-ternis premor,

premor, obruor, infirmor, in tantum humani ac peccaminoſi quid in me alo, quodque oppugnem ac curem, habeo; *Lex* per exactiſſimam ſuam *ἀκρίβειαν* intus me *ſemper accuſat & urget* pag. 91. etiam in B. O. p. 128. " Nunquam diligo &c. tantum, quantum debeo. " pag. 81. Inchoata Legis impletio procul abeſt à perfectione; eſt exigua & valde immunda, p. 115. Miſericordia egeo etiam in Bonis Operibus pag. 129. Caro mea, nondum prorſus renovata, retardat motus Spiritus Sancti, & aſpergit aliquid de ſua immunditie. p. 95. Habent & Sancti peccata. " Miſericordia ſervat nos. p. 130. Conf. verba & Loca §. 9. ad dub. generale 7. c. hoc allata. " Et quid Apologia in articulis de Peccato Originis, de Juſtificatione, de Legis Impletione, de Pœnitentia, & de Satisfactione, item Articuli Smalc. in Locis de Lege, de Pœnitentia, & de Confeſſione aliud principaliter agunt, quam quod practicum ac prolixum ad dictum iſtud Ambroſii: Semper pecco! ſcribant commentarium? Sed acclamant ſuo quodam modo iſti Theoſophici *&* Anthropologici prorſus Libri ſuo Lectori: Ὁ *ἀναγινώσκων, νοείτω*! it. *νόει, ἃ λέγω. δώῃ γάρ σοι ὁ* Κύριος *σύνεσιν ἐν πᾶσι.* Matth. 24. & 2. Tim. 2. Porro Patrem explico. Semper pecco! h. e. ſemper ambit me peccati confinium! Semper peccati minas æque ac illecebras extimeſcendas mihi experior! Parum abeſt, quin ad continuam cum peccato luctam applicem, quod de cæno, luto, fimo,

mo, omnique inquinamento, (quale revera peccato nec fœdius nec inſeparabilius ullum ullibi eſſe, vel duntaxat cogitari poteſt) alias ſonat:

Hoc ſcio pro certo, quod ſi cum ſtercore certo,
Aut vinco aut vincor? Semper ego maculor.

Eſt certe peccatum adeo pertinax antagoniſta, ut etiam ſuum victorem nonniſi fatigatum, ac decertatorio ſanguine madentem, undantemque dimittat vel agnoſcat. Mucrones hic largo tinguntur cruore. At quantus honor victori poſt pugnam iſte cruor; Superato certamine, triumphi ſuppeditant materiam, quæ ante triſtitiæ ac horroris! Suppar peccati victoriam abeunti ſpirantique fatum & officium! Semper pecco! i. e. etiam ipſum, imo ſolum Sanctimoniæ ſtudium peccati vere perſentiſcit veſtigia, & triſtia progreſſuum deliquia, ſufflamina. Semper anomaliam cum Divina rectitudine collati cordis ſentio, obſervo! video meliora, proboque, deteriora fere ſequor; quod deeſt, cerno; quod adeſt, negligo. Defectibus vigeo, augmentis langueo; Infirmitate valeo, virtute torpeo. Pecco, tum peccati facilius & prius, quam Sanctitatis ſtimulo agitor. Pecco, dum ſemper, quod corrigam, relinquo, ac ſupereſt; dum facio, quod mox infectum opto; amo, quod mox faſtidio & contra. Semper eſt, quod diſcam, quod in melius mutem. *Si unquam animo reſpirare & recedere in ſe vacat, ô quam ſibi ipſe verum, tortus à ſe, fatetur, ac dicit: quicquid*

quid feci adhuc, infectum eſſe mallem: quicquid dixi, cum recogito, in multis video; quicquid optavi, inimicorum exſecrationem puto: quicquid timui, Deus bone, quanto melius fuit, quam quod concupivi, ac etiamnum fere concupiſcere ſoleo, verba Senecæ de Vita Beata, cap. 2. En! quanta, quamque miſerrima nos urgeat corruptio! quæ ut ſentiendo reveletur nobis, opus eſt omnino. Fidelibus, quibus nunc, dum ſufferunt & pugnant, fere nihil niſi peccatum cernitur, olim, cum victores regnabunt, nihil omnino, niſi Sanctitas revelabitur. Sic œconomiam gratiæ abſorbebit & exaltabit œconomia gloriæ! Sic induti ſuperinduentur! En ſublimem, profundumque, ac per omnes ſerii demum Chriſtianiſmi partes ſe exſerentem dicti Ambroſiani ſenſum & ſcopum. Nec tamen conſcientioſa Patris vox ad proæreſin & conſuetudinem extendenda. Animæ abyſſos diſcutit, explorat, non ſuadet, nec intendit radices malitiæ agendas. Teneris & ſollicitis, non rigidis aut ſecuris loquitur. Habitum potius pravum, quam actum reſpicit. Nec peccati dominio locum dat. A peccato abſtinet atque cohibet, dum peccati inſidias prodit, periculoſamque de ſubacto & excuſſo peccato præſumptionem, perſuaſionem, ideam ac ſpeciem diſſuadet ac denudat. Peccatum recedit, nonnunquam Satanæ inſtar, ut redeat, & quidem majori dolo ac vi ſtipatum; quo longinquius remotiusque putatur, hoc propius abeſſe ſolet. Semper pecco, i. e. *inqui-*

renti mihi in me, quadam vitia apparent in aperto poſita, quæ manu prenderem; quadam obſcuriora & in receſſu; quadam non continua, ſed ex intervallis redeuntia; quæ vel moleſtiſſima dixerim, ut hoſtes vagos, & ex occaſionibus aſſilientes, per quos neutrum licet, nec, tanquam in bello paratum eſſe, nec tanquam in pace ſecurum, Illum tamen habitum in me maxime deprehendo, (quare enim non verum, tibi, ô Deus, *ut Medico, fatear) me nec bona fide liberatum iis, quæ timebam & oderam, nec rurſus obnoxium. In ſtatu ut non peſſimo, ſic maxime querulo & moroſo poſitus ſum. Nec ægroto, nec valeo-animi inter utrumque dubii, nec ad recta fortiter, nec ad prava vergentis, infirmitate laboro.* En! vel Senecam Ambroſiani: Semper pecco! quodam modo interpretem, in cujus Lib. de Tranquill. Animi c. 1. quæ modo dicta exſtant. Nonne ſic Ambroſianum nulli Scripturæ dicto obloquitur? Nec (ut ad reliqua reſpondeam) cenſendum, animæ, peccati vim ita ſentienti, ingemiſcenti, faſtidienti, vereque excuſſum eunti, Deum non ineſſe! Spiritus, qui cum carnis & peccati reliquiis colluctatur, Spiritum Dei Sanctum ſibi præſentem habet, ac vere renato unitum. Deo ſi vacuus eſſet & careret, non certaret, ſed victas præberet manus. Nec etiam imaginem Dei tollit macula, quam Satan & peccatum inhabitans adſpergere ſaltem tentant, ſed irrito prorſus effectu in renatis, qui & qua fideliter adhærent gratiæ, & Chriſto Mediatore ſuo, intus probe utuntur; Nec peccatum inhærens

hærens quidem, ſed tamen perpetua fidei precumque lucta repreſſum, eſt vel poteſt eſſe illa ſordes, qua qui maculetur, deſinat eſſe Chriſti, & membrum Chriſti. Sordes grata, non ejecta, nec vitata aut faſtidita, tantummodo maculat, & inquinat. Quod autem odi, nolo, & quoad mentis meæ viriumque mearum renovationem tanquam à me alienum æſtimo, abjectum cupio, nec in meam voluntatem intromitto, ſed eidem ingemiſco, ac omnimodam ab ipſius inſultu liberationem animitus anhelo, gratia, merito & virtute Salvatoris mei ſupprimo, Chriſtique JEſu ſanguine eluo, inhabitatione obtego, obumbro, obruo, abſorbeo, Patri cœleſti ad jugem condonationem, oblivionem, aggratiationem, & commiſerationem offero, extrado, commendo, & in quo me ferme, imo vere, tantum paſſive ac ſubjective habeo &c. id me profecto, præſertim coram Jehova φιλανθρώπῳ, leni, benignoque miſericordiarum Patre, nec maculabit, nec à Chriſto ſeparabit, aut ex Ejus excludet Eccleſia. Atque ita Ambroſio nec Ambroſius, nec Hieronymus obſtant. Medicina vero, quam ſemper accipi debere, addit Ambroſius, ab Auguſt. Conf. h. l. cum conſolatione potius, qua quis opus habet, quam cum externa præciſe Sacramenti porrectione, connectitur, & per illam exponitur; q. d. Ex peccati ſenſu conſcientia quodammodo fit ægra, quin vere mortificatur, Apol. p. 166. 169. 192. unde indiget

diget conſolatione, i. e. vivificatione; conſ. Apol. p. 168. 169. 170. 68. 71. 108. 109. 686. tanquam Spirituali medicinâ, varie à Deo per ſua media (conſ. LL. Symb. p. 329. lin. 2. - 12. Theſin ſc. IV. de Evangelio in Art. Smalc. integram) obtinendâ, adeoque etiam per devotum, & prudenter, digne, convenienterque frequentem cœnæ (quam D. Lutherus ſalutiferam & utilem Medicinam vocat, quæ morbis noſtris medeatur, vitam & animæ & corporis nobis det, in Cat. Maj. pag. 565. lin. 13.) uſum; conſ. hanc ipſam paginam 26. & 159. 559. 561. De reliquo, qui in dubio apponitur defectus, non medicinæ, ſed profundæ nimis in utente corruptioni, ineptitudini ac recidivatui imputandus, nec enim ex opere operato, aut per abſolutam Dei potentiam operatur, ſed pro modo ac indole ſubjecti recipientis, nec obicem ponentis. Et quis Medicum aut Medicamentum eſſe neget, niſi omnem omnino morbi radicem eruat ac enecet? Eſt aliquid prodire (curare) tenus, ſi non datur ultra! Fidelis cœnæ uſus ſatis conſcientiæ medetur, quando peccati vim ac dominium infringit, necat, & exterminat, adjacentem vero inhabitationem, (de qua Rom. 7. quod caput integrum inſtar Θεόπνευςυ commentarii ad dictum, quod tractamus h. l. Ambroſianum, eſſe poteſt) Chriſti applicati & obſignati merito contegit! Sat virtutis habeat oportet medicina, quæ immedicabile vulnus ſic ſanat, ut non tantum latius non ſerpat

ac

ac rodat, ſed & quotidie magis magisque imminuatur, atque nec fætor nec damnum inde coram Dei judicio amplius timendum ſit. Sic etiam huic dubio plene obviam itum.

§. 17. Dub. XVII. Aug. Conf. p. 26. lin. 8, 9. & Apologia p. 212. lin. 23, 24. & Luth. Cat. Maj. p. 559, 561, 562. favent caſui, ſi quis ſingulis Dominicis communionem peteret.) ℞. " Verba potiora ſic habent: Apud nos " utuntur cœna Domini multi ſingulis Domi- " nicis, feriis atque aliis etiam diebus, ſi qui " Sacramento velint uti, ubi porrigitur his, " qui petunt; p. 212. 26. Chriſtus per τὸ Quo- " tiescunque vult dicere: Ego vobis feſtivita- " tem Paſchalem ſeu cœnam adorno & conſti- " tuo, quam non tantum ad hujus diei veſpe- " ram quotannis celebrabitis, ſed ea ſæpe frue- " mini, quando & quotiescunque libitum fue- " rit, prout cuique integrum erit, & neceſſa- " rium, nulli loco aut tempori alligatum. p. " 561. lin. 10.-15. Sunt quidem multum in " receſſu habentia; niſi quod magnam partem ipſe contextus reſpondeat. Ex pag. enim 26. clarus poteſt peti ſenſus, cum, ſervatur, ait, communis Miſſa (i. e. cœnæ etiam populo porrectæ adminiſtratio, conſ. in Apol. p. 262. lin. 24.-26. nervoſam Miſſæ privatæ & communis intimationem, illiusque improbationem, hujus autem confirmationem.) " ſin- " gulis feriis, atque aliis etiam diebus, ſi qui " (v. c. ægroti, prælium inituri, procul abitu- " ri &c.) Sacramento velint uti &c. & p. 159. "

lin.

" lin. 11, 12. dicit; Certe in Eccleſiis noſtris " plurimi ſæpe (conf. τὸ ſæpe, quod & hæc " ipſa p. 159. lin. 15. ingeminat, etiam pag. " 559. lin. 17. bis p. 561. lin. 4, 13.) in anno " utuntur Sacramento. Loquitur enim & A. C. & Apol. ſaltem de cœna ſingulis Dominicis &c. diſtributa, non autem de perſonis, ſingulis iſtis diebus cœnam petentibus; ut & de frequenti quidem (non tamen perpetuo quodam) multorum ſacræ cœnæ uſu, non autem in ſingulis diebus Dominicis menſibusve, ſed in anno. Cavendum quoque, ne τῷ ſæpe in Semper verſo ſacrum iſtud epulum vilipendii cujusdam, (ex nimietate quadam & conſuetudine metuendi) periculo exponatur. Opponunt ſe tantum Confeſſores & Lutherus ll. cc. Judaicæ determinationi allegationique, ac Papali coactioni, v. p. 159. lin. 20, 24, 30. p. 363. f. 364. f. p. 365. l. 4. - 6. 559. lin. 20, 21. p. 560. pr. & f. 561, lin. 6. - 18. pag. 562. lin. 4. - 11. Et ſic τὸ ſæpe, τὸ toties, τὸ frequenter, τὸ quoties libitum, cuique integrum & neceſſarium fuerit &c. ex oppoſitionis additamento lucem quandam, reſtrictionem, ac moderationem ſuam hauriunt & fœnerantur. Nec verba Lutheri p. 561. nimis extendenda, ne meris inconvenientiis & abſurdis fiant obnoxia, ſed in reſpectu ad Chriſtianam Libertatem, contra Pontificios ll. cc. modo defenſam, & in relatione ad ſollicitæ admodum conſcientiæ cœnam petentis, proprium ſenſum ac veram indigentiam omnino capienda.

conf.

Digitized by Google

conf. pag. 562, lin. 20. - 29. pag. 568. lin. 1. - 5. Unum dico: Chriſti ὁσάκις, ſeu quotiescunque, non eſt convertendum in Nunquam. p. 159. lin. 26, - 28. p. 363. lin. 31. p. 364. lin. 13. p. 561. lin. 3. in Perraro. p. 559. lin 22. 561. lin. 23. p. 364. lin. 7. nec in Semper. Quotidie quidem Sacramentalis iſte Theſaurus inter Chriſtianos adminiſtratur, p. 26. lin. 8, 13. p. 559. lin. 14. ſed non iisdem, aſt tantum ſæpe. Quo ſenſu cœnæ *Sacramentum tanquam pro quotidiano alimento nobis datum ſit*, v. p. 556. 565. lin. 13. - 16. coll. p. 543. f. 544. pr. Ut autem aliquem frequentiæ modum ex illo univerſali ac prorſus indeterminato Quoties Lutherus ſuis ſimplicioribus Germanis intimaret, ac exempli ſpecialioris inſtar exprimeret, *quater ad minimum in anno Sacramentum ſumendum* ſuaſit ac ratus eſt, ne forte *periculum* ſit *contemptus Sacramenti*, aut *ne forte* ex malo ſtudio ſecus agentes *indignos ſe reddant*, *qui in Chriſtianorum cenſeantur numero*, p. 364. lin. 5, - 8. quod ipſum uti nec in univerſum applicari, aut abſolute, ſimpliciter, & omnino indiſcriminatim aſſeri poteſt; ita etiam privata tantum Lutheri cogitatio & admonitio fuit, qui quidem inſuper ipſe ſaltem hypothetice, conjecturaliter, perque modum prudentis cautelæ, periti præſagii, & juſti metus ſermonem ſuum formavit, nec *Legem ad certum tempus tali* tantæque ad cor cujusque & conſcientiam, ut & ad Deum pertinenti, cauſæ ac *rei præſcribere* voluit, ut quod Apol. p. 159. lin. 20, - 24. faciendum, aut à ſuis

fieri

fieri totidem Verbis pernegavit, & ipſe etiam Lutherus p. 363. f. i. e. in verbis §. immediate præcedentis *male fieri* faſſus, adeoque malum factum appellavit, ſi *qui Leges*, *certa tempora*, *aut certa loca* (Judaice ſcil. vel Papiſtice) *ad tales res præſcribant*; & p. 559. f. 560. pr. ſibi bene conſtans repetit: *Nemo ad Domini cœnam ullo modo adigendus aut impellendus*, *ne de integro novam animarum carnificinam conſtituamus.* & pag. 364, 365. *Non hic Legibus agendum eſt*, *id quod Papa fecit.* --- *Qui auditores ſuos Legibus potius cogere*, *quam id facere*, *ut oratione*, *quantum poſſunt*, *hujus Sacramenti commoda & incommoda*, *pericula & Bona*, *item neceſſitatem cum ſumma utilitate conjunctam*, *exaggerent*, *utque adeo auditores ultro accurrant*, *& ipſi ſe cogant*, *ſine Legibus humanis ultro ſua ipſorum voluntate coacti adveniant*, *& miniſtros verbi cogant quaſi ad porrigendum Sacramentum*; *qui*, *inquit Lutherus*, *hoc modo ſuos auditores non urgent*, *illi occaſionem contemnendi Sacramenti illis præbent.* v. p. 364. lin. 1. - 4, 31 - 35. pag. 365. lin. 4. - 6. ipſa hæc Lutheri verba. Quanquam duos, tres, pluresve annos ex contemptu ſine Sacramento exigentes p. 363. 364. 559. 560. 561. 565. quoque graviter, ac ex condigno merito corripiat; Miniſtris autem, qui in Officio Verbi ſunt, ſua etiam agenda & patienda &c. itidem terſe ac rotunde inſinuet, p. 364. lin. 1. - 4., 31. - 35. & pag. 365. lin. 4. - 18. Addo, quæ Carpzov. ad Apol. p. 212. reſpondit in Iſag. pag. 444, 445. " Hæc " verba (multi ſingulis dominicis &c) quamvis

vis indefinite ab A. C. accipiantur, ſicut etiam in Germ. Exempl. ſatis aperte id declaratum fuit: Bey uns aber braucht das Volck deß H. Sacraments willig, ungetrungen, alle Sonntag. Aliud enim eſt, quando dicitur: magna hominum multitudo ſingulis Dominicis utitur cœna Domini; aliud, quando dicitur: Ex multitudine iſta ſunt, qui ſingulis Dominicis utuntur cœna; tamen etiamſi definite acciperentur de certis Subjectis, ſingulis Dominicis communicantibus, non tamen ad obligationem moralem, ſed Libertatem facti reſpiceretur; de qua ex Auguſtino in Libr. de Eccleſiaſt. dogm. cap. 53. Tom. 3. Opp. f. 205. in Jur. Can. diſt. 2. de Conſecr. Capit. Quotidie. Hactenus Iſagoge. Ad Caſum ipſum reſpondeant alii! Librorum Symbol. mentem præciſe tantummodo expoſuiſſe, inſtituto meo ſatis eſt ac eſto!

§. 18. Dub. XVIII. Locus 1. Cor. 11, 33. pag. 26. lin. 21, 22. ab A. C. ad communionem cœnæ demonſtrandam inconcinne applicatur, cum agat de communione agaparum.) ℞. Imo concinnè! Eſt enim A. C. ſcopus, communem Miſſam ſeu cœnam, in qua non ſolus Eccleſiæ miniſter, ſed populus etiam Sacramentum ſecundum Inſtitutionem Chriſti participat, contra Pontificios evincere, quod quoque tribus argumentis præcipuis præſtat, quorum primum ex vetuſtate moris in Eccleſia, ſecundum ex Patrum Canonumque conſenſu, tertium ex authentico Scriptu-

ræ Teſtimonio depromit, deducitque. Placuit autem A. C. cap. XI. prior. ad Corinth. quia ad confirmandam ac probandam, S. cœna communiter fruendi, Inſtitutionem & morem apprime facit, quod quidem per totum caput adeo apertum eſt, ut non deſideret acutum intellectorem, ſed tantum attentum auditorem Lectoremque, ut Auguſtini verbis cum Apol. pag. 65. utar. Et quum tempore Pauli &c. conſuetudo ante ſanctam cœnam, vulgarem una frangendi panem, obtinuerit, etiam Conventus illorum & mutua expectatio communem S. Cœnæ uſum æque, quin magis ac ſociam panis vulgaris comeſtionem, olim intendit atque reſpexit, ſicque etiamnum evincit & probat; cum nullum ſit dubium, ex inſtituto & conſilio ſcopoque fidelium convenientium potiorem longe, ſi non potiſſimam πρώτωςque unicam rationem habitam fuiſſe & principalem ultimumque finem propoſitum, Domini corpus edendi, & calicem bibendi, in devotam crucifixi & confoſſi transfixique Servatoris memoriam, practicamque recordationem, quam communi amoris Chriſtiani menſa fruendi. Certe ad oſtendendam ex Scriptura communem cœnæ participationem vix plenior planiorque textus allegari poterat, modo obſerves, cœnæ Sacræ uſum cum præmiſſis agapis tum temporis connexum unitumque fuiſſe, ita tamen, ut propter illum hæ in exercitio fuerint; atque ſic alii alios juſſi ſunt à Paulo expectare, ut com-

communis participatio vulgaris ſacrique epuli & poculi fieret. En communionem Sacræ cœnæ liquidò evictam!

§. 19. Dub. XIX. A. C. p. 26. lin. 27, 28. vix citra hypocriſin, aut vocis Miſſæ abuſum, dicit; tantum numerus Miſſarum eſt diſſimilis.) ℞. Attente hic conſideretur de Miſſis agi 1.) prout in noſtris Eccleſiis retinentur; & 2.) quæ exemplum Eccleſiæ habent, & 3.) ex Scriptura Patribusque improbari non poſſunt, prout etiam 4.) in integris Liturgiis, in Romana Eccleſia ex parte adhuc ſervatis, in Proteſtantium Eccleſiis vigent. Harum Miſſarum numerum Aug. Conf. tantum eſſe diſſimilem ait, propterea quod non tam frequenter, uti in Romana Eccleſia, ac quotidie inſtituantur Liturgiæ apud nos. Significantius res hæc exponitur in Exempl. Germ. Aug. Conf. nec vocabulum Miſſæ in illo ipſo ſenſu ab A. C. acceptum fuit, quo Cæſar & Papæi ſtatus tunc iſtud acceperunt. Nec ipſæ Liturgiæ cum nævo Liturgiis adhærente, qui partim oblatio ſacrificialis proprie ac vere dicta; partim numerus erat ultra debitum frequens, confundendæ. Non de Liturgiis, ſed de Numero Liturgiarum conqueri Aug. Confeſſionem apertum eſt, & ex German. Edit. luculenter conſtat: Uber die ohnnöthige Meſſen, durch einen Miſsbrauch neben der Pfarr-Meſs gehalten, &c. vid. D. Carpzov. Iſag. p. 668.

§. 20. Dub. XX. Dictum 2. Cor. 13, 8. 10. ab A. C. p. 39. lin. 27. & 28. ad demonſtran-

dum Eccleſiis à Deo datum mandatum, quod prohibeat obedientiam Epiſcopis præſtare, quando aliquid contra Evangelium docent aut ſtatuunt, fere incongrue & ἀσκόπως allegatur, cum non de Eccleſiæ ſive auditorum, ſed de Miniſterii ac Apoſtolatus agat officio & ſcopo.) ℞. Immediate quidem expreſſus, directus, explicitus, formalis & maxime principalis ſenſus h. l. reſpicit ad Apoſtolos Verbique miniſtros, quod ſcilicet docentibus nulla ſit à Chriſto, Capite ac Domino Eccleſiæ, data & conceſſa poteſtas, virtusque ſeu vis, adverſus veritatem quicquam audendi, loquendi, connivendi, atque permittendi; nec ad deſtructionem, ſed ad ſalutarem inſtaurationem & ædificationem domus Divinæ in Chriſto, ejusdemque reparationem, ubi collabi cæperit, ac fulcimentum, ubi lapſum minetur; ſed tamen ſimul etiam, quid Eccleſiæ, i. e. Sanctis Chriſti membris, agendum attendendumque ſit, conſequenter & indirecte innuitur, ſcilicet veritatis Divino-Biblicæ aſſertoribus, inque Eccleſiæ ædificationem vere intentis Domini operariis, morem gerendum; iis autem, qui Veritati Evangelicæ adverſantur, remorasque injiciunt, & domum Chriſti deſtruunt, perturbant, lædunt, conſpurcant, & concutiunt, nec obediendum, nec conſentiendum. Uti Chriſtus, falſorum Doctorum notas moresque recenſendo, ſpirituali Dei populo ſatis eâdem operâ injunxit, ac innuit, ut ab iis ſe ſubtrahant, eorumque doctrinam

&

& vitam averſentur; ita Paulus, bonorum ſincerorumque Doctorum Poteſtatem ac Intentionem exprimendo, implicite quoque ſimul ab iis, qui contrariæ ſunt indolis, dehortatur. Eſt enim ſtatus diſcentium cum ſtatu docentium, & contra, ob mutuam inter ſe invicem relationem adeo arcte conjunctus, ut alter ex alterius jure ac officio audito &c. ſuum quoque ſtatim advertere poſſit, quin omnino debeat. Eccleſia Chriſti de ſuis Epiſcopis Chriſtianum, prudens ac modeſtum judicium ferendi jus, imo juſſum divinum habet, quod adverſus eos, qui contra Evangelium aliquid docent, etiam exercere poteſt, debet. Criſis conſcientiæ eſſet talis: Tibi Epiſcopo incumbit, ut nihil valeas velisve contra Veritatem, ſed ſemper pro Veritate! Tibi data eſt à Chriſto poteſtas ad ædificationem, non ad deſtructionem! Tu autem, qui & quia contra Evangelium doces & ſtatuis aliquid, non operaris pro Veritate, ſed contra Veritatem, abuteris poteſtate ad deſtructionem, non anniteris ædificationi, demoliris, non adſtruis! Non es ergo Succeſſor Apoſtolici animi ac officii, nec ergo Tibi aut obſequium aut conſenſus debetur, ſed mandato Dei prohibetur. Ne tamen arroga Tibi, ô membrum Eccleſiæ, temere judicium! Facile incurritur hic in periculum! Præcipitium eſt! Cave! Reprime Te! Atque ſic Aug Confeſſio ſcopo ſuo conforme dictum citavit. Quandoquidem vero in mentionem judicii, Chriſtianis

ovibus de paſtore ſuo competentis, incido, non poſſum, quin cautelæ loco ἐπιείκειαν & prudentiam utrinque neceſſariam ex Apologia huc inſeram, tam ob rei, quam temporis fatique in Eccleſia noſtra, ſimilitudinem, analogiam, & convenientiam! Sic igitur p. 104. docet. „ Dilectio eſt vinculum integritatis „ communis Eccleſiæ; ideo enim Paulus Col. „ 3, 14. ait, dilectionem eſſe vinculum ſeu „ colligationem, ut ſignificet, ſe loqui de colligandis & copulandis pluribus membris Eccleſiæ inter ſe; Sicut enim in omnibus familiis, in omnibus Rebuspublicis, concordia „ mutuis officiis alenda, nec retineri tranquillitas poteſt, niſi quædam errata inter ſe diſſimulent homines & condonent; Ita jubet Paulus in Eccleſia dilectionem exiſtere, quæ retineat Concordiam, quæ toleret, ſicubi opus eſt, aſperiores mores Fratrum, quæ diſſimulet quædam levia errata, ne diſſiliat Eccleſia in varia Schiſmata, & ex „ Schiſmatis oriantur odia, factiones & hæreſes. Neceſſe eſt enim, diſſilire Concordiam, quando aut Epiſcopi imponunt populo „ duriora onera, nec habent rationem imbecillitatis in populo. Et oriuntur diſſidia, „ quando populus nimis acerbe judicat de „ moribus Doctorum, aut faſtidit Doctores „ propter quædam levia incommoda; quæruntur enim deinde & aliud doctrinæ genus, „ & alii Doctores. lin. 18.-35. pergit p. 105. „ E contra perfectio, i. e. integritas Eccleſiæ „ con-

conſervatur, quando firmi tolerant infir- "
mos, quando populus boni conſulit quæ- "
dam incommoda in moribus Doctorum, "
quando Epiſcopi quædam condonant imbe- "
cillitati populi. De his præceptis æquitatis "
pleni ſunt Libri omnium Sapientum, ut in "
hac vitæ conſuetudine multa condonemus "
inter nos propter communem tranquillita- "
tem. Et de ea cum Col. 3, 14. tum alias ſæ- "
pe præcipit Paulus. Integritas enim & Tran- "
quillitas communis eſt vinculum perfectio- "
nis in Eccleſia -- ſicut ædificium dicitur perfe- "
ctum ſeu integrum, cum omnes partes apte "
inter ſe coagmentatæ ſunt. lin. 1.-9, 11, 12, "
13, 14, 15. & p. 106. ſ. Petrus de dilectione "
erga proximum loquitur, cum 1. ep. c. 4. "
verſ. 8. ait; Univerſa delicta operit chari- "
tas; ---- Idem prorſus docet, quod illa Pau- "
li ſententia ex Coloſſ. ſumpta, ut, ſi quæ "
diſſenſiones inciderint, mitigentur, & com- "
ponantur æquitate & commoditate noſtra. "
Diſſenſiones creſcunt odiis, uti ſæpe vide- "
mus, ex leviſſimis offenſionibus maximas "
fieri tragœdias; Inciderant quædam inter "
C. Cæſarem & Pompejum leves offenſiones, "
in quibus, ſi alter alteri paululum ceſſiſſet, "
non exſtitiſſet bellum civile. Sed dum uter- "
que morem gerit odio Suo, ex re nihili ma- "
ximi motus orti ſunt, & multæ in Eccleſia "
hæreſes ortæ ſunt tantum odio Doctorum. "
(active & paſſive). Dilectio autem tegit "
delicta, videlicet aliena, & quidem inter ho- "

 "mines,

„ mines, i. e. etiamſi quæ offenſiones incidunt,
" tamen dilectio diſſimulat, ignoſcit, cedit,
" non agit omnia ſummo jure. lin. 20. - 29.
" 31. - 34. & p. 107. dilectio erga homines non
" eſt moroſa, non aſpera, non intractabilis,
" quædam errata amicorum diſſimulat, mo-
" res aliorum etiam aſperiores boni conſulit,
" ſicut vulgaris quædam ſententia præcipit:
" Mores amici noveris, non oderis. Neque
" temere de hoc officio dilectionis toties præ-
" cipiunt Apoſtoli, quod philoſophi vocant
" ἐπιείκειαν. Neceſſaria eſt enim hæc Virtus
" ad publicam Concordiam retinendam, quæ
" non poteſt durare, niſi multa diſſimulent,
" multa condonent inter ſe Paſtores & Eccle-
" ſiæ. lin. 2. - 12. Ita Apologia commune Pacis & æquitatis Studium Chriſtianis Docentibus æque ac docendis commendat, inculcat, & ob oculos pingit. Ah quam minuerentur vero ejusmodi dogmatis exercitio ac praxi fiſſuræ Sionis parum quin laceræ! Faxit JEſus, Princeps Pacis & Filius amoris, quin Amor & Tranquillitas mere Divina, ut id obſervemus ac exerceamus, mutuis in id unum incumbentes animis ac operis, quotquot Chriſtianiſmo promovendo inhiamus, atque animitus bene cupimus. Amen, ah! JEſu da prudentem, ſed tamen ſerium etiam, ſincerumque communis in Eccleſia Tranquillitatis conſervandæ in Te animum. Da, ut ab hypocriſi & ab impetu alieni, animas è cæno mundi eripiamus, ereptáſque conſervemus. O Medie

Tria-

Triadis, mi Mediator, duc me mediam ubique viam! Amen.

§. 21. Dub. XXI. Dictum Matth. 15, 13. ab A. C. p. 41. lin. ult. p. 42. lin. 1. ad traditiones humanas, cultusque ab hominibus inventos, applicatur, cum ex verſ. 14. coll. potius vafros, acerbos, hypocritas, irregenitos, & omni charitate ac æquitate vacuos Phariſæos feriat atque intimet.) ℞. Certe ex collatione verſ. 3, 6, 9. verſus 13. ſic mihi exponendus videtur, & admodum apte atque percommodè ab A. C. l. c. exponi. Officium enim didacticum plantationi, doctrinamque ipſam plantæ, & hominem docendum agro, cui plantæ bonæ, i. e. Divinæ doctrinæ, inſerendæ ſunt, aſſimilari & reſpondere, 1. Cor. 3, 6.-9. Jer. 1, 10. Matth. 13. Jac. 1, 21. Joh. 15, 1.-6. clare monſtrant. Sic, vi oppoſitorum, dogma ab humano ingenio confictum, eſt planta mala, quam Pater cœleſtis non plantavit, & quæ plantam Domini, i. e. dogma Divinum, in agro Domini, h. e. homine, impedit, quo minus implantari queat, aut radices agere debitas. Et ſic ἡ ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ, præceptum Dei, τῇ παραδόσει τῶν Φαρισαίων, traditioni Phariſæorum, v. 3, 6. per omnia cauſarum genera opponitur; & quod v. 9. verbis propriis elocutus erat Chriſtus, idem juxta hanc interpretationem metaphoricis ac figurate parabolicis expreſſit v. 13. Et quemadmodum planta mala, i. e. Scribarum traditio, plantam bonam, i. e. Domini doctrinam &

præceptum, transgreditur, ſupprimit, quin irritum reddit & invalidum, v. 3, 6, 9. ita etiam tandem aliquando planta bona, à Patre cœleſti plantata, id eſt, præceptum ac inſtru-ctio Domini, plantam malam, ab hoſte boni ſeminis &c. plantatam, i. e. traditiones, doctrinas & præceptiones hominum, annihilabit, ſubiget, in vanum expellet, & tanquam fruſtraneum revelabit cultum, uno verbo, exſtirpabit, eradicabit, v. 9, 13. Sic Pericopa iſta Matth. 15, 1. - 14. cohæret, quantum quidem ego nunc aſſequor. Nec, qui forſan ſecus exponunt, quoad rem diſſentient, ac facile una interpretatio ex alia emanat, cum alia connecti, ſubordinari, involvi, & amice combinari poteſt; dummodo generale fundamentum obſervetur: Quod nec ex Deo eſt, nec Deo innititur, nec Divinæ energiæ ortum debet, durabile non eſt, nec coram Domino ſtabit aut valere poterit, quicquid etiam ſit, vel homo, vel humana actio & doctrina. Atque ſic ab Aug. Confeſſione etiam h. l. textum in jucunda ſua Connexione & Scripturæ harmonia applicatum arbitror.

§. 22. Dub. XXII. Aug. Confeſſio p. 44. lin. 18. Pontifici, dum eum Clementiam vocat, aut clementiam ipſi tribuit, & concedit, vel illudit, vel blanditur, quem tamen Artic. Smalc. p. 310. damnatum ſacrilegumque Judam, p. 314. ipſum verum Anti-Chriſtum; p. 313. caput à diabolo in medium projectum ac exaltatum; pag. 316. Diaboli Apoſtolum, imo

imo Satanam ipſum nominat, conf. pag. 149. 208. 347. 348. 351. 474. 795.) ℟. Sermo A. C. pag. 44. eſt comparativus & hypotheticus, imo tacite exprobrativus, & aperte monitorius, ἐπιείκειαν æquitatemque (de qua p. 29. 43. 211.) commendans, quidque Pontifice dignum & decorum eſſet, exprimens. Alluditur ad cognomen, Clemens VII. anno 1523. enim ad Pontificiam dignitatem largitionibus adſpiravit; & anno 1534. Paulum III. Succeſſorem habuit. Et quid, ſi etiam de nudo exponeres titulo? Ex eo autem, quod Confeſſores ſimplici animo, quid ſentirent, explicare voluerunt, etiam in partem, qua cum litigabant, judicandi jus ſibi non ſumſerunt, ſed quid Papæi regeſturi & porro acturi, quid admiſſuri eſſent & quid non; an in abuſuum &c. correctionem, & in ſua dogmata conſenſuri, nec ne, expectare maluerunt, nec exacerbare diſſentientes, de quorum animis, verique ac recti admiſſione, nondum omnis ſpes decollarat. Sperabant Noſtrates ex Pontificiis mitiora, ſaniora, & Scripturæ ac piæ antiquitati conformia; hinc ſtylus temperatus; Secus autem poſtmodum & animoſius paſſim Apologia, ſed articuli Smalc. ubivis ob cauſas fere ſemper additas; Tum enim actum erat, (videbantque id Confeſſores) de Papa & Pontificiis; Aperte ſuam impietatem, impudentiam & Tyrannidem Papa & Clientes Papæ prodiderant. Unde etiam iſtæ Zelo plenæ in ipſos invectivæ ac elenchi, & parrhe-

parrheſiaſticæ epanorthoſes etiam ipſi, alias & ſubinde propemodum ſatis meticuloſo, Melanchthoni quandoque uſurpatæ, ac ob indignitatem rei expreſſæ, extortæ; Luthero autem in Cauſis Anti-Papæis plane familiares, domeſticæ, propriæ, Viroque per Deum renato, & contra Papam miſſo, quaſi connatæ. Non prorſus vanum puto laborem impenſurus eſſet, qui Parrheſiam etiam Melanchthonis, & præcipue Lutheri, Anti-Papæam ex LL. Symb. etiam in tam periculoſo temporis, quod tum erat, articulo, ab ipſis, fide in JEſum Chriſtum innixis, poſſeſſam & adhibitam, cum judicio annotaret, & ad oſtendendam Divinam Fidei bonæque cauſæ vim, fiduciam, conſtantiam, & Securitatem, perite applicare vellet, aut poſſet.

Subſectio II.

recenſet ac reſolvit

Dubia

in Apologia notata.

§. 1. Dub. I. Verſus 11. Pſalm. 116. ab Apol. p. 56. lin. 18, 19. &. p. 282. lin. 14, 15. citra & contra Textus Biblici ſcopum citatus expoſitusque videtur.) ℞. Exponit Apol. dictum Davidis, Chriſti, aut fidelis: *Omnis homo mendax* per ſuum *ID EST*, *quod non recte de Deo ſentiat, non ſatis timeat, non ſatis credat Deo.* Qui ſenſus in ſe quidem admodum profundus, verus ac optimus eſt; ſed num ſit literalis & primo

mo intentus, contextus ferme prima fronte obſtat, vi cujus videtur forſan hic eſſe: omnis homo eſt vanitas, caducus, indigus, defectibus abundans, nihil ipſi poteſt vel licet confidere homini; evaneſcit, fallit, & fruſtraneo ſibi confiſos eventu miſerrime deludit. Sic & phraſin Hebræam & Biblicam, ut & Pſalmi ſeriem, idem velle quodammodo apparet. Pſalmus enim totus ſoli Jehova omnia tribuit ac aſſerit, exauditionem, auditus inclinationem, ereptionem, gratioſam benignitatem, juſtitiam, miſerationum viſcera, cuſtodiam, vigilantiam, ſalvationem, animæ reſtaurationem, reductionem, recreationem, tranquillitatem, retributionem, beneficiorum collationem, animæ ex morte extractionem, oculi facieique liberationem ex lachrymis, pedis autem ex alliſione & impulſu, mortis piorum æſtimationem, vinculorum ſolutionem, diſciplinarum & caſtigationum revelationem; Ei vero, cujus affectum Pſalmus exprimit, attribuit amorem erga Deum, ſupplices preces, clamores gratiæ appetitivos, animum per dies vitæ Deum invocandi promptum, circumvallationem, (ut ſic dicam) funium dolorumque mortis conſtrictiones, & anguſtias ſtatus infernalis, anxietatem, hoſtium obſidionem ſpiritualem, mœrorem, laborem, invocationem Nominis Jehova, tenerrimam Domini tanquam amici compellationem, & tanquam ſui peculii applicationem, ſimplicitatem, animi, ſe convinci patientem,

attri-

attritionem, contritionem, reditum animæ in copioſam ſuam quietem, ſpem beneficiorum Domini, animæ ſuæ cum morte colligationem, mortem, lachrymas, lapſum, titubantiam, ambulationem in facie Jehova, fidem, fidei ſermonem, afflictionem, decretum in trepidatione factum, experientiam impotentiæ & vanitatis omnium hominum, & quod in veris ſeriisque angoribus & neceſſitatibus nihil quicquam, Deo ſe abſcondente, aut poſthabito, opitulari queant, obligationem Soli Deo debitam &c. Sic de fiduciæ in homines collocandæ vanitate explicanda eſſe iſta verba, ex connexione textuali videtur elucere. Verum enim vero non video quicquam, quod obſtet ac impediat refrageturve, quo minus uterque ſenſus accommodum & aptum facile habere queat locum, ita quidem, ut Apologiæ expoſitio tanquam intimior, ſpiritualior, prior, & potior ſit inſtar fundamenti, cui altera ſuperſtrui poteſt, & quaſi larga quædam ſcaturigo plurium inde fluentium Veritatum; poſterior enim explicatio quodammodo exempli loco particularem actualemque miſeriam (ſc. impotentiam hominum in opitulando & exinde vanitatem in ipſos poſitæ confidentiæ) ex univerſali ac habituali (in Apologiæ exegeſi intimatâ) emanantem exprimit; hoc modo: Homo mentitur Deo, quanto magis homini? Deum vult fallere, quidni hominem? Vivit in hypocriſi coram Deo, quanto plus coram ſibi æquali?

Non

Non præſtat Deo veram fidem, quî homini? Ipſe Deo non confidit, quis confidat ipſi? Promittit Deo, quod non implet, quanto facilius & procacius naturæ ſuæ ſocio? Homo vacuus cœleſti divinaque veritate, quanto magis terreſtri politica? Intus mendacium, vanitas, vaſtitas & inanitas, impoſtura, defectus ac infidelitas, quî non omnia æque, imo longe magis, extus? En! quomodo ex interna hominis in anima corruptione externa quoque vitæ ac morum anomalia & perverſio propullulet, ac neceſſario proveniat? Exhibebo pleniorem quandam Paraphraſin, qua talis emergeret loci ſenſus: Solus Jehova eſt Unum illud Bonum Ens, Veritas, Auxilium, Conſtantia, Soliditas, Liberator, Vivificator, Illuminator, Promiſſionum Confirmator; etſi totum humanum genus fidem frangat, nec verbo ſuo ſtet & promiſſo, Deus tamen verax, fidus & conſtans permanet! Collabantur omnes, & fœdus violent! Deus tamen tanquam idem immutabile Verum perſtabit. Rom. 3, 4. Spem Dei licet omnes fallant, Deus tamen promiſſorum manebit memor, &, quantum penes conſtitutum Ipſius ordinem eſt, ſe ſic exſeret! Certe vel unum Dei dictum aut Iota in terram non cadet, Divino ſuo effectu vacuum. Cur? quia eſt Deus, qui nec mentitur, nec mutatur, nec fallit, nec deficit! Jehova eſt ſibi confidentium Servator; Spes confiſa Deo, nunquam confuſa receſſit; Eſt Jehova omne, quod nominari po-

teſt,

teſt, Eximium: Homo autem naturalis & corruptus omnia prorſus contra! Didici id in Schola Spiritus S. in conſcientia & animæ ſenſu; in ſerio iſto cordis mei certamine naturales impoſturas ac illuſiones expertus ſum, & tandem in ipſo luctabundo meo tremore, tanquam firmum, in me recluſum obſignatumque fidei ac Domini verbum protuli, ac ex vera animæ *αἰσθήσει καὶ γνώσει* dixi: quod omnis homo merum quoddam mendacium, ſimulatio, defectus, dolus ac hypocriſis ſit, quod per congenitam & continuo auctam mentiendi, i. e. Deum & homines, quantum poteſt, fallendi, ſibi vero blandiendi & aſſentandi *ἕξιν* conſuetudinemque præter mendacium, vanitatem ac fraudem, & quæ exinde naſcuntur, nihil amet, quærat, ſentiat, adeo ipſe mendax, ut etiam (quantum penes eundem) Deum ipſum mendacem reddere & habere non vereatur, ab omni vera Dei & Chriſti Veritate, ac Senſu motuque Divino per naturam ſuam & vitam aſſuetam exul, prorſusque remotiſſimus, idque tamdiu, donec etiam in ſerios pœnitentiæ ac fidei agones immergatur, & divinitus doceatur, (conf. pag. 113. lin. 24, 25. pag. 660. lin. 2. - 5. pag. 668. lin. 7. - 10. pag. 737. lin. 13. ubi ſic loquuntur Confeſſores &c. "Opiniones carnales, quas "naturaliter miratur humana ratio, & quæ "naturaliter hærent in animis hominum, non "poſſunt excuti, niſi cum divinitus docemur; "it. Niſi Dominus Ipſe Doctoris & Præcepto-

"ris

ris officio fungatur, nihil eorum, quæ IPSI " grata, NOBIS autem & ALIIS ſalutaria ſunt, " diſcemus; Dominus enim & Salvator noſter " JEſus Chriſtus eſt unicus noſter Præceptor, " de quo ſeveriſſimum mandatum de cœlis " omnibus hominibus datum eſt: HUNC " AUDITE. it. Neceſſe eſt, ut homo divini- " tus trahatur, & ex Deo renaſcatur, alias nul- " la in cordibus noſtris cogitatio eſt, quæ à ſei- " pſo ad Evangelium amplectendum ſeſe con- " vertat. Hæc Apol. & F. C. docent, non tamen niſi in ordine à Deo conſtituto, quem Lutherus una cum ſuo proprio exemplo ac experientiæ teſtimonio nervosè intimavit p. 544. lin. 24.-27. ita: " Et nobis α) gratia Dei da- " tum & conceſſum eſt, noſſe, β) Scripturas " interpretari, & γ) Chriſtum cognoſcere, " quod δ) citra Spiritum Sanctum nullo mo- " do fieri poſſe, nemo dubitat. En! quam ſcite, pie, recte, & perite Lutherus plenam Dei in nobis illuminandis docendisque ordinatam œconomiam exprimat atque conſociet, ponendo & urgendo 1.) Gratiam Dei. 2.) Scripturas. 3.) Chriſtum. 4.) Spiritum Sanctum. Amœna prorſus, cordique meo profundiſſime realiſſimeque ſapida, & ſatisfaciens Veritatum atque medicinarum connexio & ſocietas! Beatus, qui Divinum iſtum quaternionem non dividit, nec ullo modo luxat!) verbumque Divinum ipſi Divino ſenſui & ſcopo congrue exponatur ac enucleetur, atque ipſe ſibi intra ſe, quomodo cor ſuum natura-

 liter

liter vacet amore, timore & fiducia Dei, *ἀνυποκρίτως* denudetur, ipſeque tandem diſtincte cernat, quam inanibus tantum extra veram rerum doctrinarumque experientiam ſe paſcat larvis, umbris, figmentis ac præſumptionibus? Quid deinde mirum, hominem, ita naturaliter à Spiritu & Veritate Chriſti alienum, haud eſſe dignum, cui confidatur, nec opi ferendæ, aut ſolidæ Chriſti Veritati dignè communicandæ, parem eſſe; vanus eſt intus, cur non etiam extus? Homine profecto non eſt confidenter nitendum, ut, qui ipſe defectibus ſcatet, mendax eſt, non ſatis timet, non ſatis amat, non ſatis confidit Deo, ſemper eſt, quo deficiat ipſe, nec implet ſpem ac expectationem Dei, quî impleat hominum? æque ubique & in prima & in ſecunda Tabula mendax eſt, h. e. fallitur & fallit, eget condonatione, oblivione, Benignitate, acceptilatione, patitur deliquia & *μειώσεις* ſuas. O pelagus mendaciorum, ſtylo Divino-Biblico expenſorum, in homine obvium naturali! Iſtam omnibus communem, nobiſcumque nunc ſatam & natam *φθορὰν*, *ἀνομίαν*, & miſeriam, iſtud vanum nihil, merumque mendacium, in cordis naturalis abyſſo habitans ac dominans, per mei intus cognitionem expertus ſum ac deguſtavi! Ah! quam horrendum corruptionis chaos תוהו ובוהו? Crea, ô Deus, novum cor! Renova in me Spiritum! Ah! quid retribuam Tibi, ô Domine, quod me mihi revelare dignatus es? En! Benevole Lector,

ctor, amplum dicti ſenſum in Pſalmo illo de fideli expoſito, expoſitione ac paraphraſi, fidelis ſermonem imitante! Quod ſi locum textumque integrum de Chriſto capias, ex v. 11. hic prodibit (quantum ego aſſequor) ſenſus: Senſi ego vicariam mortem patiendo, devincendo, humanamque rapinam exſolvendo, ac profundiſſimam profundiſſimæ hominum culpæ & corruptioni connexam debitamque pœnam ſuſtinendo, ferendo, quantus Atheiſmus, quamque diabolicus Enthuſiaſmus (*interna eſſentia* humanæ per Satanæ energiam inhærens corruptio, a-& antinomia) quem luendum & ſuperandum in me ſuſceperam, cordi humano inſit, quanta mendacia, anomaliæ, falſimoniæ, vanitates, & deceptiones ſuique aliorumque; omnem hominem æque ac totum (כל etiam hoc ſignificat) hominem mendacem, veritatis Divinæ hoſtem ac expertem, ego omnibus in viribus meis, adeoque totus omnino, ſenſi & comperi; nec erat in toto humano genere, qui in calcando paſſionum &c. torculari ſociam porrigere valuiſſet manum, circumſpexi, ſed non erat unus; univerſitas Adamitica, complexus hominum, Adamum tanquam communem ſtipitem habentium, mentitur, fallit, deficit, eget, deſerit, ſimulat, ſpem non implet, nec Deo, nec ſibi, nec proximo digne fidelis eſt; (כל האדם כוזב) atque ſic ſe mihi, ὁμοιούσιον ipſorum, peccato tamen vacuam, naturam aſſumenti, approprianti, ac induto, in

officio meo Mediatorio ſatis ſenſibiles & graves exhibuerunt, præſtiterunt! Ah! quam omnis totusque homo naturaliter in ſe vanus, inops, impos, mendax, fide vacuus, veroque Spiritus ſenſu prorſus deſtitutus, atque proinde nec ſibi nec aliis proficuus, verax, conſtans ac ſalutaris. Hoc modo, uti arbitror, Apologiæ expoſitio eo magis tenebit primas, quo plenior, univerſalior, Divino ſpiritualique Legis ac Evangelii ſenſui propior, & convenientior, in ſe profundior, intimior, ac fœcundior aliorum ſubordinatorum ſenſuum clavis eſt & promus condus. Donet nobis JEſus, ut per Veritatem Divinam mendacem noſtram falſitatem agnoſcamus ac excutiamus, nec impotenti vanoque homini, ſed IPSI SOLI confidamus! Amen.

§. 2. Dub. II. A. C. & Apol. & Art. Smalc. pag. 16, 29. pag. 60, 68, 82, 102, 115, 139, 140, 155, 160, 166, 172, 210, 274. pag. 322. Pontificiis exprobrant, quod in tanta mole Conſtitutionum, gloſſarum &c. & in doctrina ſua nihil omnino, nullam Syllabam; nullum verbum de Chriſto, de fide doceant, nec, quid remiſſio peccatorum, quid fides, quid gratia, quid juſtitia ſit, intelligant. Quod ipſum nimia nimia videtur Hyperbole, præſertim in Libro Eccleſiaſtico & Symbolico) ℞. Sæpiſſime id queribunda inculcat A. C, præcipue vero Apologia; intelligit autem fidei Juſtitiam &c. à Scriptura & ſemetipſa perpetuo traditam, quo peculiariter facit ac notanter

notanter reſpicit decies in una ſolaque pagina 82. per omnes caſus repetita Fidei mediante pronomine demonſtrativo: Hæc, Hujus, Huic, Hanc, Hac, determinatio ac ſpecifica intimatio v. lin. 6, 16, 17, 18, 24, 29, 30, 31, 33, conf. p. 69. lin. 4, 6, 16, 19, 21, 29, 32, p. 71. lin. 17, 26. p. 79. lin. 13. p. 86. lin. 11, 12, 16, 25. p. 109. lin. 46. p. 108. lin. 32. p. 134. lin. 4, 5. p. 117. lin. 23, 24. p. 166. lin. 26, 28, 29, 30, 33. p. 172. lin, 5, 9, 10, 13. ubi ſatis palpabile & notabile prorſus indicium ſuggerit, de quali fide loquatur, dum ſubinde inſtat ac urget: Hæc Hæc Hæc fides; Hujus, Huic fidei; Hanc fidem; Hac Hac fide &c. ſcilicet digitis quaſi monſtrare, manuque voluit, ſe non loqui de fide, niſi quatenus Scripturæ conformis eſt ac docetur; ſicque crebro admodum de ignorantia, ſilentio, & omiſſione Fidei ἐγγράφȣ inter Papæos regnantis Confeſſores conqueruntur ac admonent. Utut igitur nomen fidei & Chriſti ex uno aut altero iſtius temporis Scholaſtico produci poſſit, tamen 1.) alii fuerunt, qui ne nomen quidem in loco & tempore uſurparunt. 2.) nomina hæc quidem jactant, non autem intelligunt, ſed multis modis depravant, & ita non faciunt mentionem fidei, gratiæ &c. prout oporteret. 3.) Aug. Conf. &c. reſpicit potiſſimum ad publicum (v. p. 16. lin. 5.-22.) docendi genus, ante Lutherum obſervatum. Lutherus, experientia triſti id edoctus, ſæpiſſime quoque conqueritur, ſe de fide nihil audiviſſe,

Tom. 7. Jen. in Joh. cap. 15. fol. 141. in Poſt. Dom. Dom. 2. Adv. p. 71. conf. Theolog. Tubing. Confutation. convitiorum Bellarminianorum contra Form. Conc. p. 199. & D. Carpzov. Iſag. pag. 213, 364, 365. 514, 115. Breviter quidem, ſed tamen æquo judici ſatis ad dubium hoc ſe explicat A. C. &c. pag. 16. lin. 11. - 16. p. 68. lin. 21. 33.

§. 3. Dub. III. In Apol. pag. 62. lin. 8. - 10. Ariſtoteles commendatur, & quidem ultra verum, qui tamen juxta Lutherum pernicioſiſſimus Evangelii obex, & Chriſtianiſmo peſtifer eſt Scriptor, Eccleſiæque valde nocuit.) ℞. Profecto judicium, quod Apol. de Ariſtotele tulit, Libris ejus Ethicis non plane citra omne meritum, in ſuo genere competit, ſi quidem quis rem in fonte, & quoad univerſalia juris ac æqui principia penetrare velit; qui Libros ipſos accurata criſi meditari dignabitur, verum eſſe, quod dixi, mecum ſentiet; Uſum non omnino nullum ſuppeditaverint forſan ad eosdem planius intelligendos Diſputationes Morales, quas Thom. Laur. Walliſer, Profeſſor olim Argentoratenſis, ad Ariſt. Ethic. conſcripſit. Sed omiſſis ſuperfluis dicam, quod res eſt. Ariſtoteles l. c. Apol. proprie non commendatur, tantum abeſt, ut ultra verum. Noxa, quæ Evangelio ex Ariſtotele facta, ſiniſtro Scriptoris uſui & perverſæ applicationi ortum debet; prudenter & Chriſtiane uſurpatus id non faciet. Plus autem l. c. κατ' ἄνθρωπον, quam κατ' ἀλήθειαν citatur;

tatur; nec Juſtificationi aut gratiæ immiſcetur, ſed tantum ad philoſophicam rationis Juſtitiam applicatur, & per modum deductionis ad abſurdum allegatur. Eſt hypothetica citatio, quod ſcil. Chriſto, aut regeneratione, aut Scriptura Divina non ſit opus, ſi per rationem & opera rationis juſtificari poſſimus, ſed ſolus Ariſtoteles ſufficiat, ut qui de moribus nude civilibus ſatis erudite (non dicitur, pie) ſcripſerit. Nec eſt, quod in ipſo judicio, de Ariſtotele à Melanchthone lato, deſiderare queas; loquitur enim duntaxat de externis & in ſpeciem honeſtis rationis operibus ac moribus; quod vero addit, nihil amplius requirendum eſſe, id non tam præciſe de Ethica Ariſtotelis, quam de moribus externe honeſtis, ac erudite tractatis (ait enim de his) intelligendum; nec ſenſus eſt, quod de moribus civilibus nullo prorſus modo melius majorique eruditione ſcribi queat, quam uti ſcripſit Stagirites, ſed quod ad Philoſophicam rationis juſtitiam efficiendam mores iſti externi ac honeſti, prout ab illo tradantur, ſatis contribuant; & quod ſi amplius quidpiam requirendum ſit, id non ex ratione, ſed ex revelatione, & ſic ex Chriſto, hauriri queat, oporteat. Tandem, eſt philoſophicum judicium, ad quod neminis conſcientia obſtringitur. Tulit id judicium, prout ipſe rem moralem tum temporis aſſequi poterat, & loquitur de ſuo tempore præciſius, quam ut ſubſecutis poſteris Legem & crucem figere vo

luerit, potuerit. Et nullus dubito, Philippum, ſi vel noſtram ætatem prævidiſſet, aut ſimilem attigiſſet, vel etiam Syracidem & Proverbia, tanquam Libros Dei & Eccleſiæ vere & plene morales cum Ethicis Ariſtotelicis comparaſſet & contuliſſet, ſententiam ſuam de Ariſtotelica morum civilium doctrina nonnihil, ſi non longe aliter, forſan fuiſſe prolaturum. Satis alias ineptam, periculoſam, nocivamque Philoſophiæ &c. cum Theologia commixtionem, ut & vanitatem philoſophicarum quæſtionum &c. ſi res ſerio agatur, & coram Deo ad conſcientiam referatur, agnovit ac deploravit Melanchthon, ita ut, quo ſenſu ſententiam ſuam in citato h. l. Ariſtotelis velit acceptam, non una dederit veſtigia. vide ex gr. paginas 50, 51, 52, 53, 56, 58, 59, 61, 63, 66. 103, 131, 135, 136, 139, 141, 163, 186, 219, 222, 231, 253, 261, 288.; conf. quoque F. C. pag. 651, 652, 653, 657, 771. Nec Apologia h. l. aut Luthero, aut Chytræo, (qui Platonem prætulit Ariſtoteli) adverſatur, quorum de Ariſtotele judicia vid. ap. Dom. Köpke in Theol. Myſt. p. 78. & Spener. Tabb. Hodoſoph. Præfat. lit. d. 3. ut & Lutheri Libellum ad ChriſtianamNobilitatemGermanicæ Nationis; v. Tom. I. Altenb. p. 505. adeo enim Melanchthon non negat, etiam id, quod Lutherus queſtus eſt, Ariſtotelis ſcil. Ethicam, gratiæ Dei & Chriſtianæ virtuti ex oppoſito contrariari, ut potius idem, tanquam proprium finem, quo ad adducen-

dum Ariſtotelem motus eſt, unice intendat, eoque præcipue collimet, uti lineas 1.-19, accurate meditanti clarum fieri poteſt; quippe eum tantum in quæſtione de mere philoſophica, gentili, externa & rationis juſtitia in medium profert, & quidem ideo duntaxat, ut obtineat, alia longe, præſtantiori ac vera, ſpirituali ſcilicet, juſtitia (quæ utique gratiæ Divinæ originem acceptam fert, nec Pietati obſtat) vero Chriſtiano opus eſſe; Et quid quæſo clarius, quam præcipuum Apologiæ laborem eſſe, ut gratiam Dei & vere Chriſtianas virtutes perſpicue tradat, juſtitiam rationis evertat, gratiam autem ſtabiliat, atque ſic unicum illud ſolidumque vere Chriſtianarum virtutum fundamentum probe jaciat, urgeat & commendet? damnando enim ſemper in materia juſtificationis juſtitiam rationis, etiam damnavit Ariſtotelis Ethica, ſi præpoſtere urgeantur. Nec Philippus ſuo de eruditione Ethicorum Ariſtotelis judicio Prophetis ac Apoſtolis præjudicium creavit, ut qui ſatis perſpectum habuit, quod iidem ſoli omnem Magiſtratum & Civem pleniſſime inſtruere valeant, quomodo quisque officio ſuo in Chriſtiana fide & ad æternam ſalutem ſalutariter defungi debeat, non autem cæcus Ariſtotelis, ethnici hominis, ſenſus ac genius. Verus Chriſtianus eſt bonus homo & bonus civis, imo omnium optimus! Sed mittamus ciſternas genuino ſucco & vere limpida aqua vacuas! Jehovam, & veram Jehovæ

philoſophiam ſcrutemur, i. e. Biblia! frequentemus Jehovæ Scholam, i. e. Conſcientiam! Sic creabimur Theoſophi;

§. 4. Dub. IV. Apol. pag. 64. lin. 6. Gal. 3, 24. de externa honeſtate & civili diſciplina contra Spiritus S. mentem exponit.) ℞. Apologia ſenſum dicti proprium & genuinum non attigit; ſed ſupplet defectum Form. Conc. p. 716. lin. 10.-19. Confer Diſcuſſionem ulteriorem ſupra Cap. II. Claſſ. V. §. 14. Num. 21.

§. 5. Dub. V. Apol. p. 64. lin. 5. 6. p. 65. lin. penult. & ult. p. 84. pr. hallucinatur ac deficit, cum, decalogus, inquit, civilia honeſta opera præcipit; præcepta ſecundæ Tabulæ continent juſtitiam rationis & politicam; quis enim ignorat, Legem eſſe ſpiritualem & affectus Divino ſenſui conſentientes, internamque rectitudinem ac motuum harmoniam poſtulare, & præcepta ſecundæ Tab. continere charitatem ex veritate fidelis cordis proficiſcentem, & interdictum de Pecc. Orig. motibus actualibus æque, ac habituali Ejusdem pravitate, in 9. ac 10. præcepto?) ℞. Nuſpiam dixit Apol. quod præcepta Secundæ Tabulæ contineant tantum Juſtitiam civilem & externa Politica Opera; ſatis enim novit, ac docuit ipſa abunde, quod etiam (& quidem juxta Spiritus Sancti mentem potiſſimum, vide Lutheri Expoſitionem Decalogi) juſtitiam vere Chriſtianam, proximo ex renovato corde exhibendam, & præcepta pravitati congenitæ, habituali & inhabitanti oppoſita

poſita (unde demum tertius emanat Legis uſus, de quo prolixe, diſtincte, pie, perite ac ſolide in Form. Conc. p. 594. f. - 597. pr. & p. 717. f. - 724.) complectantur, imo quod ne proximus quidem vere (ex naturalibus enim viribus etiam ne quidem externa & civiliter tantum honeſta opera vere, recte ac debito modo fieri poſſunt, ſed duntaxat *aliqua ex parte, aliquo modo & ſaltem utcunque* per pag. 15, 61, 63. 64, 84, 218, 219.) diligi poſſit, niſi cor per pœnitentiam & fidem ſpirituales ſanctosque motus habeat. p. 83. conf. p. 485. ſeq. Unde etiam de Lege à Pontificiis male intellecta toties queritur. Pag. 83. lin. 15. ipſiſſima hæc verba habet: *Decalogus præcipit de motibus cordis;* quibus p. 64. non repugnat, cum ait: decalogus opera honeſta præcipit; adde modo τὸ etiam; cor enim ſe manifeſtat per opera, ut arbor per fructus. p. 61. lin. 5. - 13. & p. 85. lin. 13, 15. dicunt: *decalogus requirit non ſolum externa opera civilia --- ſed etiam requirit alia longe ſupra rationem poſita &c. complectimur ſimul utrumque, videlicet ſpirituales motus & externa B. O.* Sicque totum dubium evertit. conf. p. 138. lin. 12, & 13. En! Apologiam ſemet plene, ſi conferatur, vindicantem. Noverat ſane etiam, quid velint Sacri Textus 1. Joh. 3. 18, 14. 24. & cap. 4, 7, 11, 12, 17, 20, 21. Tit. 2, 11, 12. 1. Cor. 13. Loquitur ergo pag. 64. pr. 65. f. tantum de ſubſtantia actuum (ut Pontificii diſtinguunt) & Juſtitia civili ſive Honeſtate politica, adeoque de nude externis

præ-

præceptorum ſecundæ Tabulæ Operibus quibusdam, ubi certe negari non poteſt, etiam iſta in Tabula ſecunda contineri, tanquam primum quendam Legis Uſum, de quo pag. 594. lin. 22. - 25. p. 717. lin. 23, 24. Unum hoc præcipue culpat in adverſariis, quod graviores Naturæ morbos non curent, nec primam Tabulam attendant, ut cordi prius bene cum Deo conveniat, quam quis proximo ſtudere & placere cupiat, cum tamen in primo præcepto tota vis ſita ſit reliquorum omnium; conf. Expoſitionem primi præcepti in Maj. Cat. totam; aut ejusdem ſimplex & nativum compendium p. 485. Deſiderat etiam in Papæis, quod operibus ſecundæ Tabulæ externis tantum, quæ ratio utcunque per ſe intelligere queat, & quæ ſpecie ſua humanos oculos, in quos incurrant, præſtringant, v. p. 103, 113, 209, 210. nec homini aliquatenus præſtitu adeo difficilia ſint, gratiam ſalutemque promereri & tribuere confidant, cum tamen fides (cui omnia in ſolidum cedenda) & primæ Tabulæ experientia deſit. Totam hanc rem, & quidquid ad evertendum præſens dubium facere poteſt, fuſis commentariis diſcuſſit Apol. in Art. de Pecc. Orig. de Juſtif. & de Leg. Implet. quorum omnium terſum æque ac ſolidum compendium exhibet articulus 18. A. C. de Lib. Arbit. ſeu etiam p. 218, 219. in Apol. Qui iſta collata expenderit, ei nullum ſupererit h. l. dubium, ſcrupulive vel minimi veſtigium. conf. D. D. Breithaupt. Inſtitut. Theol. pag. 92. §. 6.

§. 6. Dub. VI. Exegetica Apologiæ p. 66. lin. 12. textûs Rom. 14, 23. ad fidem juſtificam &c. applicatio languet, cum dictum hoc per fidem intelligat plerophoricam conſcientiæ, de juſto licitoque rei &c. uſu ac exercitio convictæ, certitudinem.) ℞. Certe fides l. c. ad Rom. ſignificat Divinam cordis plerophoriam, & firmam ex ſolidis Scripturæ principiis hauſtam confidentiam, id quod agitur, eſſe juſtum, licitum, Deoque acceptum, nec conſcientiam hominis mentem inde aggravaturam, ita ut etiam ſub tentationis horam tali quis certitudine niti & perſtare queat, & ad actus ſui cum ipſa Divina voluntate convenientiam audacter provocare, appellare, adeoque interim citra omnem animi dubitationem facere, quod facit; qualem ſane fidem extra ſalutaremScripturarum cognitionem, ac extra Chriſtum, qua Mediator eſt, apprehenſum, corque illuminantem, à dubiis & Legis Servitute &c. vere liberantem, & citra tranquillam ſinceramque cordis cum Deo juxta primæ Tabulæ præcepta concordiam nuſpiam invenies; quid igitur certius & luculentius, quam hominem infidelem, Spiritus Sancti expertem, nec corde per fidem purificatum, neque etiam Deum ſibi tanquam ſuum Deum applicantem, atque intus nondum renovatum, etiam in ipſis in ſpeciem honeſtis Operibus peccare, cum cor, cui maximum à Deo judicandum ac judicari ſolitum peccatum, ἀπιςίαν dico, ineſt, ſit impium,

um, vanum, vagum, dubium, titubans, *ἄνομον*, primis ac præcipuis præceptis immorigerum, atque fide (i. e. Divina per & propter Chriſti meritum verbumque plerophoria & certitudine) in iis, quæ agit, ſolida deſtitutum. Fides, de qua Rom. 14, 23. etiam Chriſto, & quidem paſſo pro nobis, tanquam fundamento nititur, ut per quem crucifixum, deleto & abolito chirographo in Chriſtianam etiam libertatem aſſerti ſumus, de qua qui convictus, eadem quoque in Chriſto juxta reliquorum Chriſti præceptorum dictamina utitur. Paucis: Qui ſua Opera non facit in Domino & pio corde, is non facit in & ex fide, h. e. certitudine Chriſto innixa. Sed homines naturales &c. p. 66. Ergo! Dum autem certitudo iſta fidesque cordis deeſt, quod fit, Deo etiam diſplicet. Fides juſtifica & ſalvifica quoad diverſa ſua objecta varie ſe exſerit, ſed tamen ſemper fundamentum eſt, ac eſſe debet omnium, quæ agimus, ſi quidem velimus, ut Deo placeant, nobisque ſalutaria ſint.

§. 7. Dub. VII. Dictum Rom 3, 21. in Apol. p. 67. lin. 16. aut *ἀσκόπως*, aut profunde admodum exponitur, quando ipſa *τὸ* ſine Lege cum *τῷ* gratis per ſuum ID EST commutat, adeoque tanquam IDEM æſtimat.) ℞. Eſt interpretatio Synecdochica, cauſam & effectum, conſequens & antecedens, adeoque uno verbo plura ſimul complectens. Legem enim remittendo, nosque ab eadem liberando, liberavit nos Chriſtus quoque à Legis poſtula-

tis,

tis, maledictione ac operibus, ſicque gratuitam fecit & receptionem noſtri in gratiam, & ſalutem. Τὸ gratis excludit propria merita & opera, quæ, Lege ſic ceſſante, ipſa quoque ſic ceſſant. Chriſtus Moſen abrogat, abſorbet & quaſi exaltat. Lex per Moſen, gratia per Chriſtum! Opera Legis urgentur à Moſe; mera Dei gratia à Chriſto. Juſtitia fidei præter cor promiſſionem remiſſionis peccatorum accipiens nihil poſcit, & hanc ipſam fidem Deus donat. Ubi fides, ibi omnia gratuita. Et ſic abſque Lege & Legis operibus h. e. gratis, δωρεὰν, tanquam merum donum, per & propter Chriſtum τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ Joh. 4, 10. donum illud Patris cœleſte, fidelibus contingit Juſtitia, h. e. peccatorum remiſſio, & Juſtitiæ Chriſti imputatio atque ſalus. Et ſic profunda non minus, quam etiam nervoſe plena, ſcopoque Pauli congrua omnino eſt Apol. Expoſitio, cum τὸ ſine Lege per τὸ gratis explicat; uti quoque Apoſtolus ipſe τὸ χωρὶς νόμου, Rom. 3, 21. per δωρεὰν & τῇ χάριτι αὐτοῦ v. 24. exponit, & alternatim convertit. Ita enim res ſecum fert in juſtificando, ſiquidem Legis Locum occupat Evangelium, operum vero, gratia; Lex & Opera in Chriſto ſuum finem ac ἔργον conſecuta ſunt, Evangelium & gratia per Chriſtum in nobis apprehenſum. Aut ex opere, aut ex gratia, pendet hominum juſtitia; non ex illo! E. ex hac! Quid clarius, quam à Lege liberationem eſſe nihil aliud, niſi gratuitam

tam peccatorum condonationem, fideique in Chriſto juſtitiam.

§. 8. Dub. IIX. Evangelium p. 71. lin. 8. - 10, 12, 14. pag. 165. lin, 22, 23. in Apol. audit concio pœnitentiæ, perterrefaciens & arguens conſcientias, omnesque homines, quod ſint ſub peccato, quod omnes ſint rei æternæ iræ ac mortis; id quod non congruit cum art. V. Epit. & Solid. Declar. in Formul. Conc. ſtricte dicta. pag. 590. f. - 594. p. 709. - 717.) ℞. Accipitur non in proprio, ſed generali ſuo ſignificatu; conf. pag. 145, 165, 168; & ll. cc. ex F. C. ubi & Evangelii vox late uſurpata occurrit, & tota materia plene diſcutitur. Adde, ſi lubet, Hutter. in F. C. p. 461. f. Carpz. Iſagog. pag. 848. ſeq. & ſubſect. primam §. 11. Dub. 11. ſupra.

§. 9. Dub. IX. In explicatione diverſæ acceptionis, cui vox juſtificari obnoxia ſit, Apologia ſatis intricata eſt, nec ſibi attente conſtat, vide p. 73. lin. 5. - 10. p. 74. lin. 4, 5. pag. 82. lin. 13. - 15. pag. 109. lin. 12. - 14. p. 125. lin. 9. - 11. Dicitur hic: Fide nos juſtificari, h. e. ex injuſtis juſtos effici, (h. e. accipere remiſſionem peccatorum p. 73. ſeu regenerari. pag. 74. 82.) & tamen hæc ipſamet formula opponitur pag. 109. uſui forenſi, pag. 125. obvio & applicato, quo juſtificari ſignificat abſolvi, juſtum pronunciari.) ℞. Tentabo vadum! Ambiguas in Apol. obvenire phraſes, ſupra notavit Carpzovius. "Docet autem Apol. p. 73. ſic.: Juſtificari ſignificat α)

ex

ex injuſtis juſtos effici ſeu regenerari; ſigni-" ficat & β) juſtos pronuntiari ſeu reputari;" utroque enim modo loquitur Scriptura. ... -" Sola fides ex injuſto juſtum efficit, h. e. ac-" cipit remiſſionem peccatorum. & p. 74. So-" la fide juſtificamur, intelligendo Juſtifica-" tionem ex injuſto juſtum effici ſeu regene-" rari. pag. 82. Sola fide juſtificamur, h. e. ex" injuſtis juſti efficimur, ſeu regeneramur. p." 109. Juſtificari ſignificat hic, ſc. Jac. 2, 24." non ex impio juſtum effici, ſed uſu forenſi" juſtum pronunciari. Pag. 125. Juſtificare h." l. ſc. Rom. 5, 1. forenſi conſuetudine ſignifi-" cat reum abſolvere & juſtum pronunciare," ſed propter alienam juſtitiam, videlicet Chri-" ſti. Hæc ſunt illa loca, quæ non unum fere faſtidium, diſturbium ac difficultatem Lecto-ri quandoque creare poſſe videntur. Mihi certe fecerunt. Sed quî extricaverim me, apponam. Tria priora loca pag. 73, 74, 82. ſuppeditant exemplum, quod juſtificari capiatur pro juſtum effici ſive regenerari; duo poſteriora vero, quod capiatur etiam pro juſtum pronunciari, reputari, & abſolvi. Paginæ 73., 74. 82. lin. cc. exprimunt, quid per realiſſimam juſtitiæ Chriſti imputationem IN NOBIS fiat, ſc. regeneratio, ſeu peccatorum remiſſio & adoptio in filios Dei per explicationem F. C. pag. 686. Paginæ 109, 125. lin. citt. autem, quid deinceps etiam DE NOBIS fiat, ſc. juſti-pronunciatio ſeu abſolutio à reatu; idque vel extus, etiam ab hominibus p.

109. qui impium juſtum efficere nequeunt, ſed tantum juſtum reputare, qui juſtus eſt, ac juſtitiam vita monſtrat: (eadem externa juſti-pronunciatio, reputatio & declaratio etiam à Deo fiet olim extrinſecus in judicio extremo coram Angelis & omni mundo) vel intus in conſcientia à Deo, p. 125. qui *&* juſtum efficere ſive regenerare, inque filium adoptare poteſt, *&* juſtum pronunciare, h. e. per ac propter veram Chriſti imputationem juſtum reputare, quem intus donato filii ſui merito juſtum fecit. Pagina 109. facilior evadet etiam inde, ſi inſeras τὸ tantum; Jac. 2, 24. ſcil. tantum, in voce juſtificari, obtinere ſignificationem uſus forenſis, quo nihil aliud, quam juſti-declarationem notat, & præſupponit juſti-ficationem intus antegreſſam, eamque vel vere, in judicio divino, vel præſumptive, in judicio humano; homines enim nonniſi externum, & quod oculis obſervatur, judicare poſſunt, ſolus autem Deus internam cordis conſtitutionem inſpicere valet, & inibi non tantum pronunciare juſtum, ſed etiam per filii ſui merita pœnitenti applicata juſtum in Chriſto efficere, ſeu peccata remittere & adoptare. Applicare juſtitiam Chriſti, & eum, cui applicata eſt, realiſſimo judicio ſic juſtum reputare, pronunciare, poſſunt tanquam diſtincti (quidem, in vera tamen Juſtificatione ſemper adeo arctiſſime uniti, ut ſæpe iidem cenſeantur) in ſe actus diverſe concipi; ita tamen, ut uterque actus ſit forenſis,

ſis, prior, (applicatio ſc. juſtitiæ Chriſti) ob Fideijuſſoris interventionem, compromiſſionem, acceptionem, & imputationem, poſterior (juſti declaratio in illo, cui meritum Chriſti applicatum) ob judicialem Dei abſolutionem ſubſtituto, accepto (à Patre) & apprehenſo (à pœnitenti fideli) Mediatore, Vicario, Sponſore, ſolvente, & Satisfactore nitentem, vocatur etiam juſti-reputatio (imputationem meriti Servatoris ſupponens, conſequens) Et de ſola hac juſti-reputatione, pronunciatione & declaratione, prout nunc fit in foro humano, olimque etiam certo modo in extremo judicio corã foro divino fiet, agit p.109. Ad conciliationẽ locorum citatorũ facit forſan etiam, ſi ſic rem concipiamus: Fides vera juſtificandi peccatoris cor mutat, purgat & regenerat in vera ſalutari pœnitentia, p. 73. 74. 82. lin. citt, quod ſic ex debito præparatum, JEſum Mediatorem apprehendit, & propter Chriſtum intra ſe apprehenſum, coram Dei foro ob fidem cordis, quam Deus reſpicit, & videt, Juſtum pronunciatur, reputatur, à peccatis abſolvitur, pag. 125. uti fidelis ob ſtudium Bonorum Operum, quæ cernunt homines, coram foro ipſorum p.109. juſtus reputatur & pronunciatur. Sed addo plura. Phraſi, juſtum effici, probe intellectâ, res planior erit. Deus juſtificat impium ſic, ut pœnitentiam & fidem in ipſo excitet ac operetur, per fidei in corde incenſionem animum hominis expurget, ut facta peccata faſtidiat, emendationem animi & vitæ anhelet,

Mediatorem ipſum de Merito ſibi applicando, pœnitenti ac fideli gemitu & oratione ardenti compellet, invocet, eumque tremulo quaſi præ vehementi deſiderio affectu, extenſiſſimisque lacertis apprehendat, Patri cœleſti ſe in Chriſto offerat, & flexo ſemper filialis tamen animi poplite coram Sancto Ejus throno & vultu humillime ſe proſternat, ſollicite ſe gerat, veneretur & adoret jus dicentem impii juſtificatorem ; tum Deus fidei huic pœnitenti, devotæ, ſollicitæ, & luctabundæ injuſtitias antegreſſas condonat, remittit ac obliviſcitur, juſtitiam autem Chriſti, Salvatoris & Mediatoris, donat, confert, & tanquam, ut revera eſt, propriam applicat, cedit & quaſi extradit, ipſumque hominem, filio ſuo per fidem in merita ipſius ſic adhærentem & unitum, realiſſimo ſuo judicio juſtum ex injuſto facit; ſicut quis ob ſolutionem à Fidejuſſore exorato, accepto, & vicarie ſubſtituto factam, eum, qui revera debuit, ex debitorum catalogo revera & ex juſto officio eximit ac delet; ſic pœnitens, per fidem in filium Dei naturalem adoptatur in filium gratiæ, nova indoles ipſi confertur, evadit generis Divini, ex filio iræ fit filius gratiæ, quæ ſane eſt vera cordis ex Deo regeneratio, & è morte peccatorum vivificatio, conf. tamen quoque p. 686. Indoles autem Divina fidei juſtificæ, ſive ei, in quo fides juſtifica eſt, collata, de obtento ſuo Bono juſtifico, quo intimius gaudet, delectatur ac perfruitur, hoc propius ſemper Deo uni-

unitur, & bene partum per eandem ſemper fidem ſollicite conſervare quam enixiſſime contendit ac annititur. En! quomodo etiam imputatio Divina ſit actus cordi perterrefacto realiſſimus, imo tantæ realitatis in conſcientia veris ſeriisque doloribus contrita, ut nihil realius unquam aut uſpiam dici, reperiri vel cogitari queat. O Beatum! cui remittitur iniquitas, cui tegitur peccatum! Ubi enim remiſſio peccatorum eſt, ibi eſt & vita & ſalus. v. Pſ. 32, 1. Luth. Cat. Min. p. 381. lin. 24, 25. Et ſic dogma noſtrum cavilla, ipſi ogganniri ſolita, ſatis evertit, & confundit. Abuſum doctrinæ pie utendæ quis pius & ſerius Veritatum Divinarum æſtimator non deplorat & redarguit? Circa phraſin, qua juſtificari ſignificat juſtum pronunciari, notandum quoque, quod in judicio divino omnino veritatem & exiſtentiam præſupponat, nec enim Deus ἀνυπόκριτος hominem poteſt aut vult reputare ſeu pronunciare juſtum, qui non revera talis, etſi non in ſe aut ullo ſuo opere, ſed tantum unice in ſuo fide divina apprehenſo obtentoq; Sponſore ac Servatore; eſt que actus ille pronunciativ' in juſtificationis negotio potiſſimum internus & conſcientiæ impreſſus, applicatus; quod Bernhardi verba, p. 175. Ap. l. 4. 10. in teſtimonium adducta, mirifice illuſtrant, quæ ſic habent: " Neceſſe eſt primo " omnium credere, quod remiſſionem pecca- " torum habere non poſſis, niſi per indulgen- " tiam Dei, ſed adde adhuc, ut credas & hoc, "

 " quod

" quod per Ipſum peccata tibi donantur. Hoc "eſt teſtimonium, quod perhibet Spiritus " Sanctus in corde tuo dicens: Dimiſſa ſunt " tibi peccata tua. His verbis minime obſcuris fidem ſpecialem & generalem confirmat. In conſcientia cujusque juſtificandi hæc omnia geruntur, & experiunda ſunt. Fit remiſſio peccatorum, & adoptio in filium Dei in conſcientia; utpote in quâ forum judicii Divini erectum erat, in qua reus accuſabatur, in qua convincebatur, confitebatur & condemnabatur; conſcientia enim omnem totumque judicialem divinæ Juſtitiæ proceſſum ſentit, *mortemque in præſentia deguſtat, dum horribilem, humanaque voce inexplicabilem Dei iram, & ineffabilem illam doloris vim, qua eſt etiam in mediocribus, ſi ſit vera pœnitentia, talesque horribiles in anima viribus motus, quales ſunt morientium, experitur*, per tradita Apol. pag. 166. 169. 193. & ipſam ſeriam pœnitentiam perſentiſcentium αἴσθησιν ac experientiam, ad quam toties A. C. & Apol. &c. provocant, vide pag. 17. 25. 58. 61. 62. 63. 66. 72. 76. 83. 85. 86. 87. 89. 91. 92. 96. 98. 99. 100. 101. 108. 109. 112. 117. 122. 124. 125. 126. 127. 130. 134. 137. 139. 140. 159. 161. 163. 165. 169. 170. 179. 180. 190. 192. 194. 214. 219. 231. 252. 264. 328. 380. 396. 398. 411. 420. 421. 433. 438. 463. 492. 499. 506. 510. 511. 531. 532. 562. 565. 566. 567. 568. 659. 671. 675. 712. 746. 817. Quid ergo juſtius, quid certius, quam quando quidem rigidus cauſæ peccatoris cognoſcendæ, inqui-

rendæ, & judicandæ proceſſus ſeveræ Judicis divini Juſtitiæ in corde pœnitenti formatur ac ſuſtinetur, quam inquam ibidem, imo per rei ipſius naturam nullibi alias, quam inibi fieri, fierique debere & poſſe abſolutionem, condonationem, liberationem, remiſſionem, erectionem, conſolationem, & vivificationem, omnimodamque, quantum ad tranquillam conſcientiæ cum Deo harmoniam attinet, reſtitutionem? *Nihil hic Platonice aut imaginarie intelligendum*, hortatur & præoccupat incredulos, Apol. pag. 169. *Pœnitens in veris ſeriisque doloribus ac terroribus pronunciat: Peccavi Domino! Fiet ut damner! En! chirographum, quod per Legem nobis adverſatur*, Col. 2, 14. *h. e. Conſcientiam, quæ una cum Lege pœnitentem arguit & condemnat! Hanc vocem: Peccavi Domino! non emittunt ſerio homines impii & ſecuri. Hi non vident, non legunt ſcriptam in corde ſuo Sententiam Legis. Sed pronunciat etiam Deus! Deus tollit hanc ſententiam, qua pœnitens in contritione, ſe condemnante, pronunciat, fore, ut damnetur, & ſententiam inſculpit, qua ſentiat, ſe liberatum eſſe ab illa condemnatione. Eſt autem fides nova illa ſententia, quæ abolet priorem ſententiam, reddit Pacem & Vitam.* Expreſſa doctrina Apol. p. 169. lin. 15.-30. En! juſtificatio, ſeu ſententia, qua Deus abſolvit & juſtum pronunciat, eſt practica, realisque à Chriſto in contritam conſcientiam inſculpta chirographi condemnantis abolitio & deletio, Pacis autem Vitæque redditio. Et, ſi licet parva componere magnis,

quantos motus & conquaſſationes, quantos horrores & dolores, quamque horribiliter reales, ac ineffabiliter penetrantes energias imprimit & ſecum fert, imo quantam vitæ fugam, conſtipatique ſanguinis deliquium, ac tremulum artuum &c. angorem vel momento temporis cauſatur ſententia, qua maleficus ad mortis ſupplicium condemnatur, quanto horribiliora omnia, ſi jamdum ducitur; ſed & quanta, & quam æque inexplicabilis eſt vivificatio, conſolatio, realisque *re-creatio, re fectio*, & vera quædam παλιγγενεσία, cum auditur: Gratia! Gratia! Vita! Vita! cum albus ſuccedit calculus, benignitatisque lapillus, vitæ aggratiatio, & à ſupplicio abſolutio. Ah! quam ineffabiliter majora & realiora ſunt omnia in forenſi divini judicii proceſſu criminali, cum de æterno infernalis mortis ſupplicio, iterumque de vera vitæ & veræ & æternæ reſtitutione, in contrito & adverſus deſperationem aſperrimo conflictu certante corde, cauſa agitur, diuque vis peccati palmam facit dubiam? Certe quod mortuo vivificatio, ad ſupplicium ducto, aggratiatio; idem, (imo longe majus & ſublimius quid) per omnes prorſus circumſtantias, ad fidei & Scripturæ analogiam exactas expenſasque, peccatori ſeriò pœnitenti eſt *juſtificatio*, quæ proin etiam in Apol. &c. toties ingenti cum emphaſi *audit vivificatio*, *& res corda vivificans, ex morte liberans, ac in vitam transferens*, vide loca & verba ipſiſſima p. 71. lin. 18, 19, 27, 28.

p. 82.

p. 82. lin. 5. 6. pag. 83. lin. 16, 17. p. 109. lin. 1. - 5. p. 134. lin. 3. 22. p. 137. lin. 11. p. 140. lin. 26. pag. 151. lin. 18, 19. p. 166. lin. 27. p. 167. lin. 17. 18. p. 168. lin. 12. 29. p. 169. lin. 1. - 13. 30. p. 170. lin. 2. - 6, 9. 11. 19. p. 171. lin. 6. pag. 172. lin. 12. 13. p. 190. lin. 4. 5. p. 221. lin. 21. p. 261. lin. 4. 5. 10. p. 265. lin. 11. 16. p. 268. l. 6. 8. 9. 14. p. 585. antith. V. p. 686. lin. 13. - 20. Omnia certe in criminali hoc Juſtificationis noſtræ proceſſu maxima, inexplicabilia, & ſermonem & imaginationem cogitationemve humanam longe ſupergredientia! Videamus & credamus ergo, quam practice ſe res in conſcientia habeat, quando Deus judex impium, at contribulatum, contritum & humiliatum, tandem propter Chriſtum applicatum, juſtum reputat ac pronunciat? Fit autem illa Dei pronunciatio præcipue quidem in cor hominis & intus (qui pronunciandi modus quidem utique etiam eſt forenſis, ſed tantum divine forenſis, quatenus ſolus Deus conſcientiam hominis ſibi in ſuum, & quam maxime ſibi competens, forum convertit; NB. hoc ob Apol. p. 125. lin. 9. 10. quæ ſic cum pag. 109. lin. 12. 13. conciliari poſſunt) ſed tamen etiam quandoque & ſuo modo extus; hocque iterum *vel voce Divina expreſſa*, eaque α) immediata, quod latroni in cruce contigit. Luc. 23, 43. confer. Matth. 9, 5. &c. β) mediata, in Scripturis, ut & in recta clavis ſolventis adminiſtratione; *vel operibus externis*, quæ Spiritus Sancti gratia & virtus in juſtifica-

tis operatur, per quæ Deus fideles ſuos tacito quodam & interpretativo modo coram omnibus aliis hominibus juſtificatos & juſtos eſſe declarat, ut & ipſi judicio Dei conformem nonnihil ſententiam ferre, ſaltem non negare, poſſint; & ſic juſtificatio, ſeu reputatio & pronunciatio, quod quis juſtificatus ſit, quæ inter homines de fidelibus oritur aut forte viget, ex Juſtificatione divina, qua pœnitentem, ſenſu modo dicto, & juſtum effecit, intusque pronunciavit, tanquam conſequens quoddam & poſterius quid, emanat ac originem trahit, ſi quidem externa iſta vitæ morumque ſpecies, aut illa hominum æſtimatio, (qua is, qui B. O. facit, vel ex ficto vel vero ipſius Novæ obedientiæ ſtudio, juſtus eſſe videtur, præſumitur, ac declaratur,) nec fallat, nec fallatur. Et de tali, uſui forenſi humano congrua, pronuntiatione accipienda eſt p. 109. lin. 12. 13., quæ ſcil. ab extra & coram mundo fit; atque ſic loca illa omnia ſimul de Juſtificatione ὁλικῶς loquuntur; pag. 73. 74. 82. quidem, quod & quomodo Deus ex injuſto, ſed pœnitenti, juſtum efficiat; pag. 125. quod juſtum ex injuſto per appropriatum Chriſti meritum factum, etiam juſtum pronunciet; pag. 109. quod eundem, tanquam juſtum à Se effectum pronunciatumque ab extra etiam per vivam & fœcundam fidem mundo declaret, ac jamjam commendet, olimque demum in pantocritico die plene manifeſtaturus ſit; En! quomodo paginæ hæ exhibeant, cum, quid

quid cum juſtificando fiat à Deo intrinſecus, tum quid extrinſecus; quid in juſtificatione (qua juſtum facit & pronunciat) & poſt juſtificationem proprie ſit & cernatur, v. p. 168. lin. 6. p. 171. lin. 15. Deus te juſtum pronunciat propter Chriſtum apprehenſum; proximus, propter bona opera, quæ videt; ille eſt ſenſus forenſis divinus, de quo p. 125; hic humanus, de quo p. 109. Sola fides facit, ut *alii ſiamus, & aliter faciamus, & credamus promiſſioni Chriſti*, p. 320. ſeu ut regeneremur, p. 73. 74. 82. & in pœnitentia alii facti juſti quoque propter Chriſtum reputemur, p. 125. & nos oſtendamus, *quales ſimus, poſtquam jam ſumus juſtificati & renati*, pag. 109. En! concordem rei & locorum inter ſe connexionem! Si præterea remiſſionem peccatorum accipere, ex injuſto juſtum effici, ſeu regenerari, ſtylo Apologiæ ſynecdochico pro Juſtificationis, quoad caput rei præcipuum plenumque dogmatis ambitum conſideratæ, Synonymis accipias, pag. 73. 74. 82. belle ſibi convenient, conf. F. C. p. 685. ſ. & p. 686. En! omnia ſic, uti puto, extricata! Nulla contradictio! Liquide omnia ſe mutuo inſequuntur! Verum ſuperſunt, quæ adjicienda reor. Ex Philippino in Apol. dicendi charactere id adverti poteſt, quod terminos ſuos, (præſertim in artic. de pœnit. & Juſtif. locis admodum cognatis, per pag. 171. lin. ult.) maxime vividos emphaticosque velit intelligi, & ſumat eos etiam in devota valde relatione ad conſcientiam hominis

minis coram Deo; ſic *fides*, quæ juſtificat, etſi non præciſe qua, eſt ipſi ſeria, *omniúmque in promiſſione de Chriſto oblatorum, apprehenſiva voluntas, virtus, λατρεία, obedientia erga Evangelium, juſtitia in nobis imputative, verus, imo maximus ſummus præcipuusque cultus.* v. pag. 69. lin. 3. 4. 7. p. 70. lin. 8. 27 p. 88. lin. 11. p. 103. lin. 9. 11. 12. - 18. p. 125. lin. 3. 4. 8. 22. 26. 27. 29. p. 126. lin. 1. 2. 5. 6. 9. - 11. 17. *Nova in corde Vita, divina potentia, qua vivificamur, qua diabolum & mortem vincimus.* pag. 108. lin. ult. & 109. lin. 4. 5. &c. Inſtar compendii ſit Divina Lutheri Theſis de Fide Juſti- & Salvifica, in F. C. p. 701. prudenter & plene allegata (quam ubique inter Lutheranos parietibus optarem inſcribi, donec veræ vivæque fidei indolem ac vim perdiſcerent, pauciſſimis cognitam credive conſuetam.) Certe, Subjecto recte cognito, de attributione prædicati deſinemus dubitare vel mirari. Fide, quam Apol. ſemper deſcribit, juſtifica bene intellecta, effectus iſte & proprietas, quod ex injuſto juſtum faciat, ſeu regeneret &c. ſponte ſua prodit ac ſubſequitur; ſic etiam non ſunt inanes concipiendæ imaginationes, cum peccata dicuntur remitti, & cum fides peccatorum remiſsionem accipiens audit p. 73. penetrandum enim identidem eſt in Melanchthonis & Apol. ſenſum, quem vocabulis iſtis: remiſſio peccatorum; &c. ex perpetua Scripturæ & fidei analogia & harmonia, ut & ex cordis humani coram divino Sanctitatis throno experientia, tribuendum

endum eſſe, ſuo proprio exemplo didicerant Confeſſores, & in Apol. inculcant, ad quem Librum Philippus ſuum publice profeſſus eſt nomen, ne quis queri poſſet, ſine certo autore Librum editum eſſe. p. 48. lin. 2.-6, 21.-25. Præcipue vero etiam id Melanchthon in ſuis adverſariis (quos ob defectum internæ experientiæ, nec deguſtatam fidei juſtificantis praxin admodum perite vocat otioſos homines v. c. p. 61. lin. 17. p. 63. lin. 17. p. 66. lin. 26. p. 71. lin. 3, 24, 26, 27. p. 74. lin. 9. p. 79. lin. 9. p. 82. lin. 3. p. 85. lin. 3. p. 165. lin. 17.) ſubinde deploravit & conqueſtus eſt, quod divinam phraſin non intelligerent, & quid fides, quid gratia, quid peccatorum remiſſio ſit, ignorent, ac pervidere nolint. Uti enim peccatorum commiſſio, agnitio, confeſſio & deteſtatio coram Deo non eſt frigidum quoddam opus, phantaſma aut nuda opinio, levisve humana cogitatio; Sic nec remiſſio, condonatio, oblivio & abſolutio Divina. *In remiſſione peccatorum oportet in cordibus vinci terrores peccati & mortis æternæ;* ipſa admiranda & perita prorſus Apol. doctrina p. 74. lin. 10. 11. Quidni ſic perterrefacta conſcientia vim, fiducia promiſſæ in Chriſto miſericordiæ, ſe erigendi, actualemque peccatorum remiſſionem accipiat? Cor, terror, mors, victoria, concurrunt in accipienda peccatorum remiſſione? *Cor* perterrefit, compungitur, patitur, accuſatur, convincitur, condemnatur; *terror* cruciat, concutit, attonitum reddit, & ſollici-

tum

tum excitat, humiliat, impellit ad quærendum, qui conſoletur; *mors* minatur, ſenſum ſui manifeſtat ac imprimit, vim ſuam opponit, vitam Dei odit, jus ſuum, quod diu ipſi in nos conceſſimus, defendit; qui mortis robur & κράτος habet, aſſilit, ſervitutem hucusque ipſi à nobis præſtitam urget, & allegat, &c. *Victoria* in JEſu Chriſto omnia peſſumdat, quæ premunt & angunt, cor liberat à maledictione, & rigore Legis, donat peccata, eripit è regno tenebrarum & faucibus Satanæ, confert novos & ſpirituales motus, reconciliationem cum Deo & nunciat & obſignat, conſolatur, erigit, vivificat, lætitiam operatur, omnia ſic diſponit, ut ſub mera gratia tanquam filius gratiæ genuinus in veritate & ſanctitate ambulet, cui ipſa contigit. En! ſic per Divinam peccatorum remiſſionem ſuperatur, vincitur, & infringitur peccati accuſatio, damnatio, dominium & potentia, excutitur terror, abſorbetur etiam mors in victoriam! Quis dubitet, quin peccatorum remiſſio (ſenſu Apologiæ ex Scriptura hauſto) ſit ipſa juſtificatio? conf. Subſect. Prim. §. I. Dub. I. Ah! quam plena cordique ſanando accommoda ſunt, quæ Fides & Remiſſio peccatorum ſecum ferunt ac operantur? Quandoquidem vero paginæ iſtæ non levem quandoque ſcrupulum movere ſolent, & poſſunt, ſed ſatis intricatum, plures rationes dubitandi æque ac decidendi apponam: Juſtificari (quaſi genus) ſignificat α) ex injuſto juſtum effici ſeu regenerari, p.

73.

73. 74. 82. β) pronunciari ſeu reputari, pag. 109. 125. (quaſi ſpecies) Jam vero Melanchthon immediato nexu ſubjungit: Sola fides ex injuſto juſtum efficit, h.e. accipit remiſſionem peccatorum; & ſic phraſi ſpeciali (ut ſic dicam) ſc. ex injuſto juſtum effici, pro altera phraſi, quaſi ſpeciali, ſcil. juſtum reputari, ſeu per & propter peccatorum remiſſionem pronunciari, utitur; atque ita ſpeciem cum ſpecie commutat, aut alteram ſpecificam iterum in genericam convertit phraſin; ſicut ergo p. 73. dicit: juſtificari, ſeu fide ex injuſto juſtum effici tantundem eſſe, ac peccatorum remiſſionem accipere, ſeu à peccatis abſolvi, juſtumque pronunciari, ex coll. p. 125. ſic p. 74. ſtatim immediatum contrarium ponit, dum ait, juſtificari h.l. ſignificare juſtum effici ac regenerari, adeoque vel ex phraſi ſpecifica iterum facit genericam, vel ſibimet contradicit, vel iis formulis συνονύμως ac æquipollenter utitur, vel juſtificationem ſenſu nonnihil Papæo exponit, atque id præter intentionem. Eodem modo idem repetit p. 82. Sola fide juſtificamur, h. e. ex injuſtis juſti efficimur ſeu regeneramur, atque denuo p. 73. contradicit, ubi dixit, ex injuſto juſtum effici, eſſe idem quod remiſſionem peccatorum, ſeu juſtum reputari. Vel forſan Melanchthon phraſes juſtificari, juſtum effici, regenerari, remiſsionem peccatorum accipere, in generali prorſus accipit ſenſu, & phraſes ſpeciales cum generali commiſcet, commutat, aut promiſcue

utitur,

utitur, de quo F. C. p. 686. Vel, cum ingeminat, quod fides juſtificet, juſtum efficiat, regeneret, remiſsionem peccatorum accipiat, propriam, intus operantem vim, indolem ac efficaciam veræ fidei innuit, quæ hominem in corde purificat, immutat, recte & juſte ſentientem reddit, prorſus transformat, renovat, & regenerat, prout etiam peccatorum remiſſionem p. 74. deſcribit, quo in illa accipienda cordi ſit luctandum; vis peccati & terrores mortis æternæ vincendi, atque ſic homo, peccatorum remiſsionem deſiderans & accipiens, fidem victricem habere debeat, & per hanc fidem in Chriſtum intra ſe talis effici ac regenerari, qualis propter & per ordinationem Dei eſſe tenetur ille, cui Deus Chriſti meritum applicare, & peccata remittere conſtituit, promiſit, ac vult; juſtificationis enim nemo ſit particeps, niſi alius fiat quoad cor & vitam, per pag. 320. 701. Si (non qua) quis alius factus per pœnitentiam & fidem in Chriſtum, alius pronunciatur propter fidem in apprehenſum Chriſti meritum; Hinc etiam p. 73. 74. 82. vocabulum juſtificari (cum id ſignificat, quod fides in nobis coram Deo propter ſuam in Chriſti merito recumbentem inclinationem valet, anhelat, accipit & facit) per juſtum ex injuſto effici ſeu regenerari alternatur. Certe fidem & juſtificationem, remiſsionemque peccatorum admodum ſub vivido ac efficaci docendi ſchemate inculcat & proponit. Atque ſic Juſtificatio, quæ in formali ſua conſtitutione,

&

& in puncto proprii ſui apoteleſmatis præciſo ſpectata, eſt actus juſtitiæ Chriſti, realiſſimo Dei judicio imputativus, prærequirit realem humani cordis imutationem, in ſalutari pœnitentia obtinendam; veluti id exſequitur F. C. p. 687. lin. 6. ſeqq. p. 688. lin. 5. - 9. In nervoſum rem redegit compendium Paulus Rom. 4, 5. ubi Juſtificationem impii cum fidei imputatione in Juſtitiam ita quam arctiſsime conjunxit, ut illam per hanc definiat. Sunt etiam veſtigia, v. c. p. 68. 71. 84. 86. 108. 109. f. pr. pag. 117. lin. 23. - 26. p. 134.) ex quibus apparet, quod Philippus materiam de juſtificatione potiſsimum in toto ipſius pleniſſimoque ambitu, qui & juſtificandum & juſtificantem & juſtificationem ipſam complectitur, tractet ac conjungat, ita ut practicum rerum *in conſcientia experiundarum* pleroma, ſeu complementum, una cum conditionibus in ac de ſubjecto juſtificando (partim reduplicative tantum, partim vero ſpecificative tantum conſiderato) propter ordinem à Deo conſtitutum requiſitis, neceſſariis atque efficiendis, (quæ ſpem æque ac indolem & officium juſtificandi continent & abſolvunt) ſimul comprehendat, ac exprimat, non autem ſemper adeo ſtricte tantum ad actum præciſe, proprie, formaliter, & in genuino ſuæ judicialis operationis momento juſtificativum, (ſeu, qua imputat Chriſti meritum, eumque, cui imputatum, pronunciat juſtum) reſpiciat, aut ſe alliget. Ea enim fuit Apologiæ methodus, ut perſpi-

 cuam

cuam rei ſummam complecteretur & exponeret. Elegans dictum eſt, quod Apol. p. 125. lin. 22. - 24. communicat; quando, *Fides, ait, eſt Juſtitia in nobis, imputative; id eſt, eſt id, quo efficimur accepti Deo propter imputationem & ordinationem Dei.* Ut enim Deo acceptus efficiaris, multum requiritur, & ut, quod Ipſi diſplicet, nec foveas, nec facias. Chriſtus certe, ſi uſpiam, in juſtificatione, eſt ac monſtrat ſe δυνατὸν ἐν α) ἔργῳ καὶ β) λόγῳ. Luc. 24, 19. Unde verus & realis, etſi judiciarius, λογισμὸς; Revera tamen actus iſti & motus, in Juſtificando ſe exſerentes, non ſic divelluntur, prout conceptu vocabuliſque diſcerni poſſunt, ac ob cauſas in Form. Conc. p. 687. 688. 689. 690. - 693, graves ſuo jure neceſſario etiam debent; involvit enim juſtificatio & realium Dei in juſtificandi conſcientia operationum complexum, & judicium ſeu effatum Dei de homine, cujus juſtificatio intendebatur. Unde iterum reſponſio ad pag. 109. enaſcitur, quod ſc. ejus verba non refragentur paginis 73. 74. 82., quia nituntur iis, quæ in homine jamdum peracta ſunt, niſi enim per fidem Chriſti juſtus ſit effectus ac regeneratus, etiam non poteſt talis pronunciari; *propter fidem in Chriſtum & remiſſionem peccatorum totus homo, cum quoad perſonam ſuam, tum quoad opera ſua, juſtus & ſanctus eſt & nominatur ex mera gratia & miſericordia in Chriſto ſuper nos effuſa, expanſa & amplificata*; verba Lutheri de Juſtif. coram Deo in Art. Smalc. pag. 336. lin. 10. - 13. Inſuper

lineæ

lineæ 12, 13. pag. 109. reſpiciunt tantummodo ſenſum vocis juſtificari, in Jac. 2. 24. obtinentem, forenſem ſcil. humanum ac externe declarativum coram hominibus. (τὸ *Hîc* lin. cit. non ferit circulum juſtificationis, ſed locum Jacobi) Aliud enim eſt juſtificatio interna cordis coram Deo per fidem in Chriſtum ex Deo datam; aliud externa vitæ morumque coram hominibus per ſtudium B. O. ex renovatione mentis natum; quamvis hæc ex illa proveniat, tanquam bonus fructus ex bona arbore, & potius vocari poſſit juſti-declaratio. Aliud eſt, cum præciſe agitur de modo juſtificationis, aliud, cum de homine juſtificando, aut jam juſtificato; aliud, cum quæritur de juſtificationis ratione formali, aliud, cum de fructibus; "illud eſt Juſtificationis actus primus, "in ſola fide, h. e. fiduciali apprehenſione & "applicatione meriti Chriſti conſiſtens, quem "Paulus tractat & explicat; Hoc vero actus "Juſtificationis ſecundus, in exercitiis fidei, "h. e. in Operibus Pietatis occupatus, quem "Jacobus urget; Verba ſunt Hutteri in Form. "Conc. p. 380. & aliqua ex parte & modo quodam Iſag. pag. 284. ſatis opinor reſponſum! Si quæ ſuperſunt dubia h. l. ex dictis, ſi applicentur, facile dilui poſſe arbitror. Luculentam autem & ſuccinctam Doct. Carpz. conciliationem ad h. l. non poſſum, quin adducam; quam exhibet in Iſag. p. 233, 334. "ita: (1.) Apologia quidem p. 73. pro diſtin"ctis verbi juſtificare ſignificatibus habere vi-

 detur,

"detur, quando ſignificat ex injuſtis juſtos "efficere, & quando ſignificat juſtos pronun-"ciare ac reputare; ſed ex aliis Textibus Apo-"logiæ apparet, etiam pro Synonymis utrum-"que hunc ſignificatum haberi; expreſſe enim "ſcribit p. 125. Juſtificare hoc loco .... nobis "per fidem. Videtur igitur (2.) Apolog. "phraſin iſtam: pronunciari ac reputari ju-"ſtum, duplici modo accipere; ſemel prout "illa pronunciatio coram Deo fit; deinde co-"ram Deo facta etiam ab extra hominibus illa "oſtenditur; priori modo accepta, phraſis hæc "cum illa, ex injuſto juſtum effici, coincidit, "illique minime contradiſtinguitur; poſterio-"ri vero modo propter diverſum conſidera-"tionis modum, à priori ſignificatu Apolo-"gia eam diſtinguit, & p. 73. etiam accipit, "prout mentem ſuam pag. 109. ſatis perſpi-"cue exponit, ubi textum Jac. 2, 24. expo-"nens ait: quod Jacobus dicit ...... & renati. "Et Juſtificari h. l. ...... pronunciari; ſc. ab "extra & coram mundo. (3.) Apol. etiam "ſatis ſeſe declaravit, quomodo habere velit "intellectum, quando dicit: juſtificari ſigni-"ficare ex injuſtis juſtos effici, addit enim ex-"preſſe, per fidem propter Chriſtum nos juſtos "reputari & acceptos fieri, quod ſola fides ex "injuſto juſtum efficiat, h. e. accipiat pecca-"torum remiſſionem p. 73. propter Chriſtum "peccatorem juſtum reputari p. 78. Juſtificare "h. l. eſſe reum abſolvere, & propter alienam "juſtitiam per fidem communicatam pronun-

ciare

ciare juſtum, longeque aliter de Juſtitia hac"
loquendum eſſe, quam cum in philoſophia"
aut in foro quærimus juſtitiam proprii operis,"
quandoquidem hoc in loco Juſtitia noſtra ſit"
imputatio alienæ Juſtitiæ. Hæc Carpz. conf."
Form. pag. 585. num. 5. p. 685. 686." Diffiteri tamen poſt omnes & varias reſpondendi rationes intimatas nequaquam poſſum, Lectoris animum per iſtas phraſium modo diſtinctarum ſtatim ſubnexam in Apolog. permutationem, & iterum factam diſtinctionem &c. non plane nullis diu perturbari ac premi difficultatibus, donec tandem viam eluctandi conſpicetur. Quod ſupereſt, opto, ut Juſtif. articulus in me fiat, quod eſt in ſe, quoad ea, quæ ipſum præcedunt, conſtituunt, & ſequuntur, Amen. Miſericordia Domini remittat, quæ feci; operetur, quæ facio, contegat, quæ nolens omitto, Amen.

§. 10. Dub. X. Locus 1. Cor. 15, 56. 57. ab Apol. p. 74. lin. 12. - 14. non ſatis plene, nec ad textus congruentiã exponitur, dum ad vincendos in remiſſione peccatorum terrores peccati & mortis æternæ applicatur. conf. p. 194. lin. 8. 12.] ℞. Et plene & congrue! Mortem, v. 54. Infernum, v. 55. peccatum, v. 56. Legem, v. 56. in victoriam abſorptum iri prorſus, ait Paulus. Modum, quo id nunc fiat in fidelis conſcientia, oſtendit Apologia. Profunda certe Exegeſis! Paulus loquitur de ea plena & externa manifeſtatione ejus, quod hic in fidelis hominis corde jamdum factum, & ſubinde fit, quæ olim

in reſurrectione demum futura. Apologia dictum iſtud, tanquam Locum quendam communem, & generalem theſin, ex qua Paulus inferebat, ad cor, in obtinenda peccatorum remiſsione ac novaDei in anima Vita, per fidem Chriſti luctans, applicat. Aculeus & ſtimulus mortis, quo nos mors pungit ac vulnerat, eſt peccatum. Potentia, qua nos peccatum urget & premit, eſt Lex. Quod nobis infigit mortem, h. e. ſenſum abſentis ex & in Deo vitæ, eſt peccatum. Quod peccati vim revelat, eſt Lex. Aculeus iſte nobis retundendus; conſcientiæ contra ipſum in ſerio pœnitentiæ certamine calcitrandum eſt! O durum laborem, grandem paſsionem! Pleonaſmus peccati ſuperabundantia gratiæ ſuperandus! Rom. 5,20. Per fidem in Eum, qui & qua miſit Chriſtum Filium ſuum, ex morte ipſa in Vitam ipſam transſcendendum, Joh. 5,24. 1. Joh. 3, 14. Victoria fidei de Maligno, Inferni incola, reportanda, 1. Joh. 2, 13. ut etiam de Mundo, Satanæ laboratorio ac elemento, 1. Joh. 5,4.5. Omnia jam vere nunc in fidelibus. Victoria illa, in quam mors abſorpta, olim plene *κατ' ἔξω* quoque revelabitur, jam nunc ambeunda, & per fidei virtutem in ſpiritu evincenda, hoſtibusque ſpiritualibus extorquenda! Hem quam grata eſt Deo Chriſtianorum, ſi modo vera eſt, de Patre ſuo, ac de collatis gratiæ Bonis viribusque gloriatio! GratiaDeo noſtro, qui jamdum dedit & continuo dat nobis Victoriam illam per Dominum noſtrum Salvato-

vatorem Unctum! confer. 1. Corinth. 15, 57. τὸ νῖκος cum v. 54. νῖκος. v. 55. τὸ νῖκος. Profundam, & in apprime opportuno loco applicatam profundi admodum dicti expoſitionem ſuppeditat Apol. p. 74. 194. Qui nunc in conſcientiæ prægustu verſus illos non experitur, aut in ſua anima inpleri non curat, is nec in gloria eorundem erit vel fiet particeps. Nunc fiunt iſta in myſterio, cruce tecto, olim vero demum, omni peccati & mortis vi ac Jure in noſtrum quoque corpus annihilato, triumphus agetur in aprico. Et Chriſto, Vita noſtra, revelato, Paulinum iſtud ἐπινίκιον à fidelibus ex pleno decantabitur. Jehova Jeſus Immanuel eo nos adjuvet! Amen.

§. 11. Dub. XI. Dicta Legalia in Apol. p. 83. 109. 115. &c. contra Textuum convenientiam & Scopum de Nova Renatorum Obedientia exponuntur.) ℞. Quia Legales ſententias, & nonnunquam πρὸς ἄνθρωπον, ſeu ad hominem ſaltem dictas, Evangelice interpretatus eſt Melanchthon, etiam in Locis ſuis à Chemnitio Tom. 2. Loc. Theol. p. 293. ſeqq. Tom. 2. p. 182. deſertus eſt; unde etiam ſatis patet, cui Explicatio hæc etiam in Apol. p. 83. 109. 115. accepta ferenda ſit, ſcil. eidem Melanchthoni. conf. Apol. pag. 48. f. Quamvis vero ſenſus orthodoxus ſit, tamen ipſi Literæ non ſatis convenire videtur, propterea quod hæ & ſimiles ſententiæ à Moſe, Chriſto & Apoſtolis uſurpatæ, non præſcribant, quid

 homi-

homines regenerati facere debeant, ſed ſaltem audaciam humanam confundant, & impotentiæ homines arguant atque accuſent. (adde, ad Chriſtum Legis Scopum & Terminum tanquam ad Medicum compellant) prout "etiam Chemnitius P. III. LL. Theol. p. 182. "iſtud oſtendit. Hæc D. Carpz. reſpondet in "Iſag. p. 264. 285. Ultra quod notandum tamen etiam puto, quod Philippus ex hypotheſi, & ad hominem prudenter diſputet, atque ex ipſis propriisque adverſariorum allegatis & conceſſis (tantiſper & in tantum quoque admiſſis) ipſos convictum eat. Quidquod modus, juxta quem dicta iſta tractavit, ad defendendam Ejus Expoſitionem etiam nonnihil conferre forſan poſſit, ſicut enim Legis finis eſt, & Chriſti etiam in ejusmodi colloquiis, quale Matth. 19. eſt, ſcopus fuit, intimata & oſtenſa homini vana de ſe ſuisque viribus ac moribus præſumptione, & recluſa Legis ſpiritualitate, hominem in ruborem dare, terrere, humiliare, in agones, Medici anhelativos, conjicere, & ad fidem pædagogia ſua manuducere, conf. p. 319. non ut ſemper impos maneret, ſed ut, Chriſto fide invento & obtento, Spiritus Sancti Virtutem in ſe perſentiſceret efficacem, novosque ac Legi Divinæ conſentientes motus, donato Spiritu Sancto, acciperet, ſicque Legem facere inchoaret, h. e. Deum vere timere, Deum vere amare, Deo vere credere, & proximum vere diligere, concupiſcentias autem ſuas quotidie cruci-

crucifigere, ac mortificare, inque bono ſemper creſcere: Sic etiam Philippus Legem, quam Papæi objiciebant, ac Legalia dicta, quæ urgebant, retinuit, & noſtra profunda corruptione, illorum autem ſpirituali prorſus ſenſu ac ſumma perfectione explicata, tanto fortiori convincendi nervo neceſſitatem remiſſionis peccatorum, fidei in Chriſtum, & gratuitæ juſtificationis, ut & ingentem renovationis noſtræ imperfectionem, adverſariis ſuis (niſi pervicaci malitia & αὐθαδείᾳ obicem oppoſuerint) confitendam tantum non extorſit, certe in conſcientiis ſatis eos conſtrinxit; atque ita prudenti iſto, per animadverſum quendam circulum, quaſi aliud ageret, circumducendi modo ac methodo, ad id quod voluit, & ὅπερ ἔδει δεῖξαι, adverſarios ſuos leni lentoque greſſu deduxit, & quaſi ἀπὸ μηχανῆς tandem ſubito devictos proſtravit, ſuamque cauſam defendit, evicit.

§. 12. Dub. XII. Dum locus Jerem. 31, 33. qui de Evangelio gratiaque Novi Teſtamenti agit, ad Decalogum applicatur in Apol. p. 83. 101., pſeudermenia committitur.) ℞. Explicari illud dictum de Lege ſtricte dicta, ſunt, quibus ex Apol. contextu clarum videtur; ſed tamen hæc illud non facit ſimpliciter, verum ſub tali ſchemate, quod totum ad Novi Fœderis gratiam reſpicit ac proxime accedit; fit enim mentio fidei, Spiritus Sancti, novæ in cordibus vitæ, ſpiritualium & Sanctorum motuum, quæ omnia ex decalogo hauriri &

acquiri non poſſe, Apol. ſatis ex proprii cordis praxi perſpectum habuit. Nec etiam ignoraverit, quomodo Paulus Ebr. 8, 7.-13. vaticinium Jeremiæ ad Evangelicum N. T. pactum & ſtatum, tanquam Theopneuſtus, omnique exceptione major V. T. Exegeta, transtulerit!ad quem locum conferSeb.Schmidium, qui rem de tota Dei voluntate, adeoque plene, exponit. In quantum autem etiam Novum Teſtamentum Legis officium, teſte Luthero p.319,320.in articulo deLeg.&Evang. ac de Tertio Legis Uſu in Form. Conc. retinet, inque ſuum uſum convertit, & ſalutari ſuo ſcopo adaptat ac accommodat, & motus Legi conſentientes humano cordi inſculpit, imprimit, adeoque Legem ſtabilit: in tantum vox ac Lex ipſa ſtricte dicta Legi iſti, de qua Jerem. 31. Evangelicæ non erit abſolute opponenda, ſed ſaltem & ſcite ſubordinanda. Dumque Legem, de qua Jer. 31. per ſpirituales & ſanctos, in renatorum ac fide juſtificatorum corda inditos, motus exponit, ſane parum abeſt, quin eam pro Evangelio habeat, & explicet, imo, quantum ego video, nihil; præſertim Evangelio generaliter, inque univerſali complexu accepto. Legem enim ſtricte dictam fidem ac Spiritum Sanctum dare non poſſe, abſit, ut Apologetas ignoraſſe, aut etiam in propria conſcientia non expertos fuiſſe, ſuſpicemur. Et, uti conjectura mea fert, in gratiam lucrandorum & convincendorum adverſariorum videntur

dentur mihi nomine Legis ac decalogi (κατ' ἄνθρωπον, & per hypotheticam, non autem conceſſivam poſitionem) h. l. & ſimilibus uſi, ſed ſimul, quaſi aliud agendo, ad fidem & gratiam docendam greſſum intentionemque direxiſſe, & Adverſarios (etiam Lectores alios) ſuos ſenſim manuductum, & ſub dictione quoad quædam vocabula & nonnullas expreſſiones Legali, præcipue Papæis uſitata (quorum argumenta ex ore ipſorum inter prælegendum excepta procul dubio in verbis ipſiſſimis & expreſſis retinuerunt, ac Apol. eadem diſcutienti κατὰ ῥητὸν inſeruerunt. v. p. 48. lin. 6. - 8.) γνησίον Chriſti Evangelium explicatum erutumque iviſſe. Apolog. ll. cc. id tantum innuit ac obtinere vult: quod ſolum fides vera in Chriſtum ſanctos cordis motus, quos genuina ſpiritualiter intellecti inſpectique præcepta exprimunt ac poſcunt, pariat & afferat, eosdemque motus eſſe ipſam in cor fidelis, adeoque Evangelio jamdum potiti & recte utentis, datam Legem, quæ interna Chriſtiana (ex Chriſto fluens, prudens, à Chriſto illata & effecta, Chriſto morigera & prompta) juſtificati cordis ἔννομία 1. Cor. 9. 21. utique etiam extus in vita renovata, Legisque voluntati congrua, ſe exerat, potiſſimum tamen internam conſcientiæ rectitudinem curet; ſeu: Moſen per Chriſtum, Vetus per Novum Teſtamentum in ſeriis mentibus introſpici, ſentiri, ſuaviter gratum pellucidumque

dumque reddi, exaltari & confirmari. Per Evangelium in corde ſtabiliri, & in cor inſeri Decalogum. Ut intus ametur & impleri incipiat Legalis Spiritualitas, opus eſſe fidei dono, vi ac indole. Actualem ſanctiſſimæ Dei voluntatis inſcriptionem, vel quod idem eſt, Legis in cor dationem, pendere ex Evangelii fide, prius cordi quærenda & poſſidenda; quam prærequiſitam fidei inexiſtentiam Apolog. in articul. de Juſtif. & Leg. Impl. &c. ſingulis fere paginis, imo lineis, inculcat. Et in hoc arcto unionis vinculo intimati ſenſus etiam ad Jer. 31. applicari poſſunt, idque tanto magis, quanto majorem meretur obſervationem, quod Paulus Ebr. 8, 10. per νόμους Legem & fidei Evangelicæ, & decalogi, ſive moralem à Deo junctim in mentem renati inſeri, & in cor inſcribi, haud obſcure indigitet; utraque enim Dei Lex eſt, utraque piis opus, quoad cordis æque ac vitæ ſtatum. Annon ex dictis Apologia profunde combinavit, quæ per ordinem divinum & conſcientiæ indigentiam combinanda erant? Certe, ſi quis nihilominus putet, quod hic jure quoad Jeremiani ex ſcopo deducendi explicationem quidpiam deſiderari queat, attamen præter parorama quoddam hermeneuticum, ad quod quidem conſcientiæ obligatio, aut manus &c. ſubſcriptio ſe non extendit, haud erit, quod extorqueri poſsit; eſſet autem & hoc eo facilius condonandum, & boni conſulendum, quo intimius & nervoſius verba; dabo Legem meam in cor-

da

da eorum, explicuit, ut, ſi non prorſus expreſſit, (quod ego quidem perſuaſus ſum) Novum tamen Teſtamentum ac Evangelium penetranti ſenſu fragret ac ſapiat ejus Ex. & Applicatio.

§. 13. Dub. XIII. Rom. 7, 19. 14, 25. parhermeniam patitur, quando ab Apol. p. 91. & Form. Conc. p. 660. 665. 674. 679. 719. de vere renato exponuntur, cum tamen textus loquatur vel de Paulo, in priori ipſius phariſaico & Legali Statu conſiderato, vel de Paulo, ſtante ſub Lege, & luminis Legalis radiis illuſtrato, & ad pietatis proſecutionem per gratiam prævenientem accenſo, utut nondum regenito. ℞. Exponunt Libri Symbolici ll. cc. dicta Rom. 7, 14. ſeqq. de piis & renatis Chriſtianis quidem, ſed tamen uſque ad mortem opus habentibus, ut cum peccato, in carne reſiduo, per totam vitam dono Spiritus Sancti luctentur. Alii de irregenitis, & ſub Legis ac Evangelii quadam colliſione & confinio ſaltem adhuc ſtantibus, & nondum in veram Spiritus regenerantis libertatem aſſertis atque collocatis, explicant. Quam litem meam facere non audeo, nec ei par ſum decidendæ. Quod ſi vero Harmoniam totius & Scripturæ, & Epiſtolæ, & Capitis VII., conſcientiam praxinque cordis mei propriam, ut & Experientiam in Sanctorum, ſemper etiam ſuos defectus &c. deplorantium, miſerationesque Domini implorantium, exemplis, tanquam normam & judicem ſequi volo, ut debeo,

beo, Symbolicæ aſſentiendum & acquieſcendum erit expoſitioni, quæ conſcientiæ, in ſtatu tentationis præcipue, quoque uſum præſtat valde paracleticum, in vita vero quotidiana epanorthoticum & pædeuticum, ſuique animi accurate dokimaſticum. Quod ipſum mihi, quantum ego capio & adverto, pro meo animæ meæ ſtatu ac incremento, uti ſatis, ſic tutiſſimum, videtur. Addo quantillum: Si ſerium conſcientiæ Tuæ coram Domini judicio ſcrutinium inſtituas, quoad omnes propemodum, etiam vere bonorum Operum, (taceo peccata omiſſa, ah! quot hæc etiam in Sanctis, i. e. vere credentibus?) internas ac externas circumſtantias, obſervabis in Lumine Jehovæ, quod defectus quipiam, nævi & maculæ ſemper iis adhæreant? Optimus ille, qui minimis urgetur. Cave tamen & apage etiam Securitatem cum Socordia, uti vanam præſumptionem cum φιλαύτῳ αὐθαδείᾳ! Nec omnes ubivis Sanctos ex te metiaris. Cauſas tuorum defectuum inquire, &, quantum vales, exſcinde. Erit abunde, quod agas. Ad dictum ipſum Rom. confer. D Spener. Part. III. Conſil. p. 771. & D. Hedinger. gloſſ. N. Teſt. ad Rom. 7. pag. 563. & loca de perpetua Renovationis noſtræ Imperfectione, ex LL. Symb. in Sect. Gener. Dub. 7. §. 9. collecta.

§. 14. Dub. XIV. Apol. p. 96. 117. 135. 136. Bonis Operibus meritum tribuit & concedit.) ℞. Tribuit quidem, ſed 1.) ſenſum ſuum ſatis diſtincte ibidem explanat, qualium rerum

rum merita Operibus concedat, & quod non remiſſionis peccatorum, ſed tantum corporalium & ſpiritualium aliorum præmiorum. 2.) τὸ mereri cum Patribus accepit generaliter, laxius, improprie & catachreſtice, (quemadmodum quidam loquuntur) ut idem ſit, ac impetrare, compenſationem gratuitam ex mera Dantis liberalitate profectam expectare, retributionem à Deo promiſſam accipere. Latiori ſenſu meritum eſt opus à Deo mandatum, factum à renato in fide, quod habet promiſſiones ſive in hac, ſive in futura vita; per Chemnit. Part. III. LL. Theol. p. 27. v. Carpzov. in Iſag. p. 289.- 291. ubi quoque requiſita meriti proprie dicti congeſſit. Equidem ſatis ſuperque notum, quod ſumma contentione Apologia Operum merita oppugnatum iverit ac refutaverit etiam, non tamen puto negari poſſe, quod fere dura, ipſique illi monito & cenſuræ, quæ p. 94. lin. 18.- 21. obſervata eſt, obnoxia propemodum eſſe, quæ p. 136. lin. 17. 18. 25. & p. 137. lin. 12.- 15, 22.- 29. leguntur; Nonnulla quidem mitigandi fundamenta ſuggerit Carpz. l. c. Intimiora autem ex ipſis Apologiæ viſceribus expromi poſſunt; videlicet 1.) ſenſus eſt hypotheticus, & κατ' ἄνθρωπον, non præciſe κατ' ἀλήθειαν; reſpondet enim ad inſtantiam Papæam. v. pag. 135. lin. 5. 2.) de vita æterna & Juſtif. tantum ſtatus controverſiæ eſt, an ſit proprie merces, & per B. O. proprie promerenda. p. 138. lin. 5. 6. quod Apol. negat, & ad Scripturam, quæ utramque

donum

donum eſſe dicit, provocat. p. 135. lin. 7. pag. 136. lin. 20. ſeqq. 3.) adverſus acerbiſſimam vocabuli mercedis interpretationem querula proteſtatur quaſi, p. 135. lin. 18. 19. 4.) prudentem ἐπιείκειαν & promittit & poſcit, *non magnopere, imo plane non de vocabulo rixandum, litigandum, nec inanem de vocabulo mercedis λογομαχίαν movendam, ſed id præſtandum eſſe, ne negligantur res in Scripturis traditæ, aſt retineantur juxta Dei mandatum; & ſi concedant adverſarii, quod fide propter Chriſtum juſti reputemur, & quod B. O. tantum placeant propter fidem, quæ apprehendit Mediatorem Chriſtum, ſe de nomine mercedis poſtea non valde rixaturam*, p. 135. lin. 30, 31. pag. 136. lin. 13. 17. conf. p. 200. lin. 10. 11. & 202. f. 5.) certum reſtrictumque ſenſum ſubjungit, & in gratiam adverſariorum ex abundantia, quo forſan eo facilius propius utrinque poſſit conveniri, explicat, quomodo aliquatenus merces vocari queat vita æterna, in quantum ſc. res duntaxat Veritate & Conſtantia Dei promittentis nititur. pag 136. lin. 17. ſeqq. aut, in quantum *noſtra Legis impletio, fidem noſtram ſequens, circa Legem, in qua pro noſtris operibus debetur merces, verſatur*; quod cum exiguum ac immundum valde ſit, inſuper qua bonum ex alienis nobis donatis viribus, facile de modo, natura & pondere mercedis ipſius fieri poteſt judicium. 6.) Genuinum & κατ' ἀλήθειαν mercedis ſenſum hic exulare, ſatis intimat loci de Lege Legisque natura ex philoſophia practica allegatio. p. 138. pr. Toto ergo à p. 135. - 138. diſcurſu nihil aliud egit, quam ut

ex

ex amorifluo condeſcenſu adverſariis ſuis oſtenderet, ſe nolle moroſam de vocabulo movere litem, nec enim ſe abhorrere ab uſu vocis mereri, & mercedis limitato, & honori Chriſti conſcientiæque tranquillitati non derogante, contumelioſo aut periculoſo. Eo enim tandem Apol. labor recidit h. l. ut tantum Juſtitiam fidei obtineat & evincat, ac ante omnia ſcitu & creditu neceſſariam, primasque etiam ubivis tenentem, & per omnia pietatis &c. officia ſe exſerentem, demonſtret; quo ſalvo, facile, quantum ullo ſemper modo fieri poterat, ceſſit, & ſe vel ad phraſin uſitatam adverſariis & gratam demiſit, quousque nullum inde ulli Veritati accedere valebat præjudicium, ut viderent, ſibi tantum de Re & voluntate Divina curam eſſe. Alias denique nullus dubito, Confeſſorum quoque conſcientiæ coram Deo inſediſſe & ſapuiſſe, quod Gerhardus poſtea etiam ſenſit ap. Schmid. in Compend. Theol. §. 104. videl. *nos ne quidem panem quotidianum mereri.* Unde Chriſtus hunc nobis, tanquam donum exorandum, injunxit Matth. 6, 11. δὸς da, dona! vox noſtræ fidei eſt. ô Tu ἀγαθοποιῶν, ὀυρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς καὶ καιροὺς καρποφόρους, ἐμπιπλῶν τροφῆς καὶ ἐυφροσύνης τὰς καρδίας ἡμῶν. Act. 14, 17. Tu, continue Benefactor, cœlitus nobis largitus & dans pluvias ac tempora opportuna frugifera, intus corda & viſcera noſtra alimento, benignitatis Tuæ ſenſu, & bono animo implens! Tu נוֹתֵן לֶחֶם לָרְעֵבִים Tu, qui in jugi eſurientibus

tibus his, illis ac omnibus dandi, quo veſcantur, actu conſtitutus es. Pſ. 146. Omne bonum, ad Subſtantiam noſtram, (ἐπιύσιον) corpus ſcil. & animam, pertinens, Donum ex Te, ex Tua, ô Altiſſime, gratia!

§. 15. Dub. XV. Apol. p. 98. ſ. ait: Sacrificia in V. T. externa exercitia in Judaica Politia fuiſſe; finem autem ac officium antitypicum, & fidem in præfiguratum Meſſiam, omittit.) ℞. Non ait: tantum fuerunt exercitia externa. Reſpectum Antitypicum plene ſatis una cum fide in tum temporis venturum, Chriſtum, expreſſit, p. 70. 97. à p. 253. - 269.

§. 16. Dub. XVI. Per Apolog. p. 108. & Formul. Concord. pag. 693. Lutheri mens circa Jacobi Epiſtolam eſt error Pontificius, & hactenus LL. Symb. non eſt ὁμόψηφος in tam ardua de toto Scripturæ Libro quæſtione) ℞. Quid tum? Erraverit in iſto ſuo particulari judicio! Non teneris ad illud! Sufficit, Veritatem etiam hactenus Apol. & Form. Conc. inſitam eſſe. Dubium hoc non LL. Symb. accuſat, ſed Lutherum, de cujus paroramaſi h. l. non agitur. Minutulum eſt! Non moror!

§. 17. Dub. XVII. Rom. 2, 13. ab Apolog. p. 109. ad Juſtificationem fidei applicatur, quod non quadrat.) ℞. Non loquitur Apol. l. c. de divina & proprie dicta Fidei Juſtificatione, ſed de humana juſti-declaratione, (cum homines bonam fidelium converſationem intuentur. v. lin. 10. - 13.) & de tali fide, quæ juſtificat, nec ſine operibus eſt, non au-

tem

tem qua. Aliquid tamen circa dicti hujus h. l. uſurpationem monendum. Equidem juſtos pronunciari, qui corde credunt Deo, & deinde habent bonos fructus, propter fidem placentes, veriſſimum eſt; ſed hi tamen non ſunt factores Legis proprie tales, ſenſu Paulinis & reliquis Sacris Scripturis conveniente; ſic etiam Legale dictum de Evangelica Renatorum accipitur Obedientia, quod ſiniſtram parit Scripturæ interpretationem, nec ſatis apte cum diſcrimine, quod inter Legem & Evangelium obtinet, convenit. Neminis tamen conſcientia ad hermeneuticū ejusmodi deliquium obſtringitur. Non tamen imputari poteſt Apologiæ, quaſi h. l. factores Legis proprie dictos aſſereret, ut quod ubivis negat, e. g. pag. 89, 91. ſimplicem, v. lin. 26, p. 109. duntaxat aliquem uſum & ſenſum accommodatum ex dicto applicare voluit, quod aliqua ex parte cum dicto Jac. 2, 24. controverſo parallelum erat; præcipue ad τὸ juſtificabuntur & τὸ factores reſpexit, monſtratura, eum, qui facto ſibi fidem ineſſe comprobet, utique etiam pro juſto habitum & pronunciatum iri inter homines, imo etiam à Deo teſtimonium fidelitatis & B. O. reportaturum eſſe, ad Legem in toto ipſius officio & natura non adeo ἀκριβῶς h. l. attendit; & intelligit factorem Legis non omnimodum aut ſtricte, ſed qualemcunque ab extus utcunque obſervabilem; decretum enim & concluſum Pauli Rom. 3, 20, 28. Gal. 3, 11, 21. non ignoravit. Agit de homine, qui juſtifica-

ſtificatus eſt, non qua; ſpecificative, non reduplicative. Regnat h. l. plus Simplicitas & Accommodatio, quam Subtilitas & Hermenia.

§. 18. Dub. XVIII. Apol. p. 117. dicit: Tota novitas vitæ ſalvat! Quod certe plus eſt, quam: B. O. ſunt ad ſalutem neceſſaria! aut certe tantundem; (rejectum tamen p. 588.-591. 698.-708.) Et contra dicit p. 69. f. 70. pr. 128. f. ...... 133. Miſericordia ſalvamur! Miſericordia ſervat nos!) ℞ Annotavit eundem ſcrupulum aliqua ex parte jam anno 1579. D. David Chytræus, ac expreſſe hoc nomine ad D. Andreæ & alios in Saxonia Theologos ſcripſit; in Epiſt. Volum. pag. 1132. 1181. apud Dn. Arnold. in Hiſt. Eccl. & Hær. Tom. 2. L. 16. c. 18. §. 9. ut adeo in ſubſecuta F. Conc. eum non ſublatum aut diſcuſſum eſſe, mirer. Nam certe ambiguarum, (ut ſupra Sect. Gener. Dub. 6. §. 8. Carpz. vocavit) & prorſus ſingularium, in Apol. occurrentium loquendi formularum hæc ipſa non eſt ultima aut minima, ſi non maxima; novitati enim vitæ ſalvificum effectum, aut influxum in ſalvationem videtur aperte concedere; quod tamen Georgii Majoris formula non ita fecit, improbata nihilominus p. 590. f 591. lin. 1, 2. &c. ubi fere ipſiſſima formulæ h. l. in Apol. obviæ verba damnantur. Totum Apologiæ Librum in capitali ſuo ſcopo qui expendit ac ἀναλύει, cernet, ipſam in omni ſuo opere, ut & hac dubia formula, nihil aliud intendere

aut

aut evictum ire, quam hoc: Illa fides, quæ habet vitæ (internæ & externæ) novitatem, ſalvat. Uno verbo: quid urget Apologia ubique? FIDEM! ſed VERAM ET VIVAM ſicque SALVANTEM! Verumenim vero, ut de genuino phraſeos h. l. ſenſu & ſcopo conſtet, pares quasdam ſimplici ac devoto animo à Melanchthone aut Apologia uſurpatas locutiones conferam: Pag. 71. ſic loquitur: "*Fides* in veris & ſeriis perterrefactæ con-" ſcientiæ terroribus erigens & conſolans acci-" pit remiſſionem peccatorum, juſtificat & vi-" vificat; nam illa conſolatio eſt nova & ſpiri-" tualis vita. --- --- De tali Fide loquimur ---" quæ à morte liberat, & novam vitam in cor-" dibus parit, & eſt opus Spiritus Sancti. P. 79." Fides vivificat --- parit in corde Pacem &" gaudium, & vitam æternam. P. 83. Fides" affert Spiritum Sanctum, & parit novam vi-" tam in cordibus. P. 84. Spiritus Sanctus no-" vam & æternam vitam, ac æternam Juſti-" tiam in nobis parit. Pag. 91. cum affectibus" carnis luctatur Spiritus Sanctus in cordibus," ut eos reprimat ac mortificet, & inſerat no-" vos ſpirituales motus. P. 108. 109. Fides eſt" divina potentia, qua vivificamur, qua dia-" bolum & mortem vincimus. --- Hæc Fides" cum ſit nova vita, neceſſario parit novos" motus & opera. Pag. 111. Propheta præce-" pit opera, ut neceſſaria in nova vita. ---" Chriſtus requirit novam vitam, quæ certe ne" ceſſaria eſt. Pag. 112. In concione Danielis"

"cap. 4, 24. altera pars eſt, quæ præcipit de no-
"va vita, & operibus novæ vitæ. --- Vere cre-
"dentes fide peccatum vincunt, & mortem.
"Pag. 116. In doctrina pœnitentiæ requirun-
"tur opera, quia certe nova vita requiritur.
"Pag. 134. Ideo regeneramur & Spiritum S.
"accipimus, ut nova vita habeat nova opera,
"novos affectus &c. --- Hæc regeneratio eſt
"quaſi inchoatio æternæ vitæ. Pag. 151. Ju-
"ſtitia cordis eſt res vivificans corda. Pag.
"168. cum credimus, vivificantur corda Spi-
"ritu S. per verbum Chriſti. Pag. 172. Fides
"juſtificat, dum ex terroribus liberat, & pa-
"cem, gaudium & novam vitam in corde pa-
"rit. Pag. 197. Debent ſequi B. O. pœniten-
"tiam; debet pœnitentia eſſe non ſimulatio,
"ſed totius vitæ mutatio in melius. Pag. 215.
"regnum Chriſti eſt ſpirituale, h. e. in corde
"notitiam Dei, timorem Dei, & fidem, juſti-
"tiam æternam & vitam æternam inchoans.
"Pag. 216. Evangelium eſt remiſſio peccato-
"rum, & inchoatio vitæ æternæ in cordibus
"credentium. Pag. 259. Mactatio in Lege ſi-
"gnificabat & mortem Chriſti, & prædicatio-
"nem Evangelii, qua (virtute ſcil. mortis
"Chriſti prædicatæ & fide applicatæ) hanc ve-
"tuſtatem carnis mortificari oportet, & in-
"choari novam & æternam vitam in nobis.
"Pag. 294. Vita æterna in corde rebus æternis,
"h. e. Verbo Dei & Spiritu S. efficitur. Ex
his Teſtimoniis cum character dicendi, tum
vere Evangelicus ſenſus Apol. ſatis elucet.

Et

Et ſi ad phraſin p. 117. lin. 12. juſte ac diſtincte applicentur, multum illi exinde lucis accedet, ſi non (quod tamen mihi certum) plenus intellectus, Apologia & confirmatio. Ex tota Apologiæ analyſi, & ſcopo ubivis regnante, atque ſatis conſpicuo, ſalutem noſtram aut peccatorum remiſſionem renovationi noſtræ aut B. O. ſtudio nullo prorſus modo aſſeri, evidentiſſime conſtat, imo ex omnibus fere lineis, etiam immediate h. l. vel antecedentibus vel ſequentibus, unde ſincerus formulæ dubiæ ſenſus utique declarari, probe inveniri, ac intelligi poteſt. Ad hoc accedit, quod, uti ubique fere, ſic etiam à p. 94. usque p. 119. (ubi ab Apologia ad præcipuos ab adverſariis contra Aug. Conf. Locos è Scriptura citatos reſpondetur) amet tale ſermonis ac diſputationis genus, quo totus rei ambitus & complexus evolvitur ac explicatur, ut ſic ex conſpecto totius rei negotio, & veris cauſæ fontibus adductis de ſpeciali quæſtionis themate, & de ſingulis totius materiæ membris ac partibus ſic aut ſic obvenientibus, tanto diſtinctius atque fructuoſius diſſeri valeat. Sic Aug. Confeſſio pag. 23. lin. 11.-13. ſub ſola *Pietate* omnia Chriſtiani officia complectitur, quæ & κατ᾽ ἔσω & κατ᾽ ἔξω ipſi præſtanda incumbunt. Sicut itaque *mens Apoſtolorum fuit, prædicare* regnum Dei, & œconomiam gratiæ ſalutisque totam, & tamen per Hiſtor. Tripart. l. 9. cap. 38. fol. 155. ab Aug. Conf. l. c. approbatam, quoad rem in integro ſuo com-

pendio ſpectatam, nihil aliud prædicarunt, quam *bonam converſationem & pietatem*: Sic Apol. mens h. l. fuit, prædicare ſalvantem Vitæ novitatem. Et ſicut Apoſtoli fidei tandem omnia in ſolidum vindicarunt: ſic etiam Apol. h. l. Uno ſc. verbo comprehenduntur omnia; ibi, in A. C. p. 32. lin. 11. - 13. ſub Bona Converſatione & Pietate; hic, in Apol. p. 117. lin. 12. ſub tota novitate vitæ. Ex hoc rem ὁλικῶς complectendi & tractandi ſtudio Apol. toties urget & inculcat adverſariis, ut totam rem intueantur in iis, quæ ipſam præcedant, conſtituant ac ſequantur; & ne materias addendis omiſſis truncatas atque mutilatas proponant, ſed ut locos omnes ac integros inſpiciant, exhibeant ac tractent. Et hic rem & rei Summam proponendi modus eſt Biblicus, pioque cordi mira quadam amœnitate, gratia & uſu non uno ſe valde commendat. Hic regnat in Apol. ex. gr. p. 85. l. 14. complectimur ſimul utrumque. P. 86. l. 2. addimus & hoc l. 29. excerpunt unum. P. 88. l. 17. totum cum toto. l. 32. totum. P. 89. l. 4. totum- comprehendit. P. 94. l. 11. Omittunt. l. 15, 16. neceſſe eſt addere. P. 95. l. 6. poſtea addimus etiam. P. 96. l. 6. at hic addimus etiam. P. 97. l. 10. Interim etiam. P. 100. l. 8. - 11. Nos igitur etſi tamen. P. 101. l. 15. - 17. Præpoſtere --- unum locum citant --- Locos plurimos omittunt. Pag. 102. l. 15. corrumpunt pleraque loca. p. 107. f. de fide nihil dicunt. p. 110. lin. 12, 13. Semper hæc duo, l. 17. totam. l. 28.

neceſſe

neceſſe eſt addi. Pag. 111. l. 3. 4. & l. 6. Initio. l. 11. Interim tamen. l. 19. Interim tamen. l. 21. 22. Nec de illo uno - ſed de tota lin. 22. 23. Interim tamen. l. 26. non ſufficiat. l. 27. oportet addi. P. 112. l. 1. non tantum l. 2. ſed totam pœnitentiam complectitur. l. 4 Hic autem & fides. l. 6. non ſolum l. 7. ſed multo magis l. 9. duæ l. 21. de tota l. 24. de tota P. 113. l. 1. addita l. 13. omiſſis. l. 14. tantum. pag. 114. l. 3. complecti. l. 5. non tantum l. 6. ſed quoque. l. 12. non ſolum. l. 14. tantum. l. 18. poſtea nos quoque. l. 20. tota. Pag. 115. l. 20. nihil omnino. l. 25. 26. non ſolum, ſed etiam. l. 29. 30. non ſolum, ſed etiam l. 33. & additur. Pag. 116. l. 16. annectit. P. 117. l. 10. 11. fidem & fructus complecti. l. 18. tota. l. 19. tota l. 20. ante. lin. 21. & poſtea. l. 27. Excerpunt mutilatas ſententias. l. 29. integri. l. 30. tota. lin. 31. una aliqua. l. 32. integri. l. 33. mutilatus. Pag. 118. l. 2. addi l. 3. excluſo. l. 5. integer. l. 23. corrumpunt. l. 24. unam. l. 26. totus. l. 27. reliqua. l. 30. cur non tota. l. 31. conjungitur. l. 32. excerpere. l. 33. omiſſis. P. 135. l. 16. 17. omittunt. omittunt. totius. excerpunt. P. 137. l. 2. 3. complectitur. complecti. l. 5. & hoc. Pag. 138. l. 12. non tantum. l. 13. ſed etiam. l. 20. cum l. 22. excludendus. l. 36. ſimul complectitur. cum. &c. Sic ſolent Apologetæ Aug. Confeſſionis in totum doctrinæ corpus & plenum rei complexum ſuos adverſarios æque ac lectores introducere. Abſtineo plurium locorum allegatione; veſtigia enim attento Lectori u-

 bivis

bivis prorſus ſunt obvia. Ad formulæ noſtræ: *Tota illa novitas vitæ ſalvat!* convenientem, & certe non contemnendam interpretationem ac defenſionem facere poſſunt verba pag. 87. f. *Nota eſt conſuetudo ſermonis, quod interdum eodem verbo cauſam & effectum ſimul complectimur κατὰ συνεκδοχήν. & pag.* 88. *f. Sæpe fit in Scripturis, ut uno verbo multa complectamur.* (quam regulam hermeneuticam, quales Libris Symb. multæ inſunt, & forſan peculiarem quoque mererentur collectionem, etiam ad pag. 117. l. 12. applicatam vult Apologia, dum immediate ſubjungit p. 88. f. verba hæc: *ut infra latius dicemus in ſimilibus locis*) & pag. 137. pr. *Scriptura ſæpe mentione B. O. fidem complectitur; vult enim complecti juſtitiam cordis cum fructibus. pag.* 138. *f. Scriptura ſimul complectitur juſtitiam cordis cum fructibus, & ſæpe fructus nominat, ut ab imperitis magis intelligatur, & ut ſignificet, requiri novam vitam, & regenerationem, non hypocriſin* (quæ exegetica Scripturæ regula formulæ pag. 117. applicata eam fere, imo ſane omnino, & in totum ab omni paroramate aut anomalia abſolvit) *p.* 168. *Si quis dicat, Chriſtum Marc.* 1, 15. *cum ait: appropinquavit regnum cœlorum* (ſalus & ſalvatio) ſed *μετανοεῖτε καὶ πιϛεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ complecti etiam fructus pœnitentiæ, ſeu totam novam vitam, non diſſentiemus. pag.* 188. *f. Et cum Chriſtus ait: agite pœnitentiam, certe loquitur de tota pœnitentia, de tota novitate vitæ & fructibus. pag.* 189. *f. conſtat, ſcripturam loqui de operibus debitis, & tota novitate vitæ.* Annon explicationes hæ formam loquendi p. 117. obſervatam ſatis

expo

exponunt ac juſtificant; neque enim aliud quid dicere voluit Apologia, quam hominem, qui (non qua) ſalvari velit, ſerio debere *mutationi cordis & operum* (verba Apol. p. 112. l. 4.) ſtudere, & in Mediatore Chriſto eo anniti, ut intus mundus ac renovatus ſit fide, & foris *in operibus à Deo præceptis fidem vivam* exſerat *ac monſtret* (iterum ex Apol. p. 118.) Et quod pag. 117. occaſione Tob. 4, 11. profeſſa eſt, idem prorſus occaſione 1. Cor. 11, 31. p. 196. repetiit ita: *Verbum judicare intelligi debet de tota pœnitentia --- ſignificat damnare peccata. Hæc damnatio vere ſit in contritione & mutatione vitæ. Tota pœnitentia α) contritio β) fides γ) boni fructus impetrant, ut mitigentur pœnæ, & calamitates publicæ & privatæ.* En! quomodo idem omnino & per omnia utrobique cum. p. 114. lin. 18. - 21. pag. 196. l. 16. - 25. tum pag. 117. l. 12. dicatur, etiamque intendatur, etiamſi ob textuum ex Scripturis allegatorum diverſitatem ſub diverſo proponendi & applicandi modo. Et cum à ſalvando vel à fide ſaluti - capa (vox Dannhaueri) Apologiæ locus pag. 117. *totam vitæ novitatem* poſcit, nihil à Luthero alienum facit, ſed quoad rem idem & ſentit, & urget, qui pag. 320. ſic docet pœnitentiam: *Quotquot eſtis, nihil eſtis, ſeu manifeſti peccatores, ſeu opinione veſtra Sancti ſitis. Omnes vos alios fieri oportet, & aliter operari, quam quales nunc eſtis, & ſicut jam operamini, quales cunque ſane ſitis, magni, ſapientes, potentes, Sancti. --- Chriſtus inquit: agite pœnitentiam, & credite Evangelio, id eſt, FIATIS ALII ET FACIATIS ALITER & credatis*

mea

mea promiſſioni. Hæc Lutherus. Quid hoc aliud eſt, quam *totam vitæ novitatem* requiri ab eo & in eo, qui ſalvationis Chriſti fieri velit particeps? ideo autem illa requiruntur, quia per ordinem à Deo conſtitutum tales conditiones in homine præſentes poſtulantur, etſi non qua tales in ſalutis collationem influant. Qui congruam ordini Divino vitam in corde & opere vivit, ſalvatur, etſi non qua. Sed propius ad locum eamus dubium! Inferendi ratio & concluſio pag. 117. l. 12. eſt hypothetica, *κατ᾽ ἄνθρωπον* directa, ex polemico & Antipapæo diſcurſu, ex ſcopo ad ſermonem adverſariorum aliquà ex parte condeſcenſivo dijudicanda, q. d. Si eleemoſynæ à morte & peccato (quod Confutatores objiciunt) liberant, id tamen non omittendum, quod eas Deo placituras præcedit, ſc. fides & reconciliatio, ut ita veræ fidei ſint exercitia & incrementa, & in pleno ſuo complexu ſpectentur ac vigeant; ſicque dicendum potius, quod tota illa novitas vitæ (fides, reconciliatio, remiſſio peccatorum, devictæ mortis domatio, fidei exercitia, fidei in ſuis exercitiis augmentum) ſalvet, ut ex qua, imo in qua omnia fidelia charitatis opera (ſic eleemoſynas apte exponit p. 118. f.) fluunt, fiunt, & fieri debent, ſi Deo placere velint; q. d. non unum opus aut aliqua opera liberant, ſalvant, ſed totius cordis vitæque renovatio, ac per fidem in melius mutatio facit, ut in debito officio ſuo, ac Divinæ conſtitutioni conformi ſtatu, reperiatur fidelis homo, ſicque ſalva-

ſalvari queat. Uti p. 117. l. 2. uſurpatur vox liberat; ſic l. 12. vox ſalvat. Lin. 2. 3. innuunt eſſe hyperbolicam phraſin, cum dicitur: eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, ita accipiendam, *ne detrahat de laudibus & propriis officiis Chriſti* lin. 4. Hæc eadem certe accurata & neceſſaria monita lin. 2. 3. 4. data, lin. 11. 12. non potuit dememiniſſe, qui hunc locum ex Apologetis ſcripſit. Eandem ſane criſin etiam ad ſua verba adhibuerit & adhibendam noverit, quam ad verba Libri Eccleſiaſtico-apocryphi ipſe adhibuerat. Poſſet ergo ad l. 11, 12. quoque dici, quod ad l. 1, 2. ipſa dixit Apologia, eſſe ſc. hyperbolen quandam, quæ ita debeat accipi, ne detrahat de laudibus propriisque officiis Chriſti. (à quo & per quem liberatio à peccato & morte, ac ſalvatio noſtra pendet atque contingit nobis) Sed intimiora ſunt, quæ reſponderi poſſunt. Prædicatum τὸ ſalvat, ſi ſumatur de æternæ, olim demum pleniſſime conſequendæ, vitæ collatione, & ſubjectum, τὸ Novitas vitæ, ſi hæc pro externo quidem, ſincero tamen Bonorum Operum exercitio capiatur, ita ſunt reſtringenda, attemperanda & explicanda, ne fidei analogia vim patiatur, *nec ad unam partem (Nam verba hæc: tota illa novitas vitæ*, conſtituunt totum aliquod compoſitum, ex fidei vita, 1.) in corde intus, & 2.) in Bonis Operibus, ex renovato animo provenientibus, extus ſe monſtrante, conſtans) ſc. ad B. O. ſeu novam vitæ ac morum converſationem, particula *ſalvat*, gene-

generaliter & indeterminate poſita, *transferenda eſt*, ſed ad eam partem, quæ potiſſima & caput rei eſt, ſc. veram fidem, 1.) bonæ voluntatis & 2.) juſtæ actionis ſeu Bonorum Operum genitricem; (per Ambroſ. p. 18. in A. C. §. Præterea allegatum) *ne ſententia, per ſe nihil habens incommodi, corrupta, ſophiſma committatur*; uti Apolog. p. 118. l. 23. - 25. monet, queritur, ac diſſuadet. Tali enim modo prædicata eſſe capienda, quali permittunt ſeu depoſcunt ſubjecta, & contra, præſertim in Scripto Virorum α) *recte & β) pie* (prout Divinum hoc vinculum tam conjungunt, quam penes ſe reperiri teſtantur Confeſſores p. 49. l. 13. ò gratum Deo Theologum, in quo biga hæc ſe mutuo cernit & amplexatur, ſcil. rectitudo & pietas; ſeu ἔγγραφος de Divina Veritate ſenſus; ſeriusque Dei in conſcientia & vita cultus!) *de Evangelio Chriſti ſentientium*; ut & peritorum ac prudentium, quis ignorat? Atque ideo prædicatum, *ſalvat*, pro natura ſubjecti, & iterum ſubjectum, *novitas vitæ*, pro diverſa prædicati acceptione h. l. diverſimodam quoque nanciſceretur expoſitionem; Quod ſi per *Novitatem vitæ* intelligatur cordis per fidem erectio, conſolatio, renovatio, hominisque ex morte in vitam translatio, tunc vox *ſalvat* non infert aut dicit nimium; ſin, *Novitas vitæ*, pro pœnitentia, quatenus ſe exſerit per Bona Opera, accipiatur, tunc τὸ *ſalvat* pro ereptione ex periculis, pœnis & judiciis Domini temporalibus gravioribusque, ſeu ex die tribulationis

ac

ac neceſſitatis, ut quacum, Tob. 4, 10. expreſſe nominata, verſus 11. (qui dicit: eleemoſyna à morte liberat) immediate prorſus connectitur, ſumi poteſt, imo debet; quod intimant in hac ipſa pagina 117. lineæ 15. - 18. in quibus *conceditur hoc, quod eleemoſyna (quæ modo lin.* 12. *per totam novitatem vitæ* alternatæ quaſi, expoſitæ & commutatæ erant) *mitigent pœnas, quod mereantur, ut defendamur (ſalvemur) in periculis peccatorum & mortis*, quo pertinent & collimant etiam p. 196. lineæ 23. - 25. *Tota pœnitentia, contritio, fides, boni fructus impetrant* (vox mereri modo uſurpata hinc lucem accipit) *ut mitigentur pœnæ & calamitates publicæ & privatæ*; idem brevius occurrit p. 114. lin. 18. - 20. Sic p. 197. l. 1. - 3. legitur: *Ninivitæ tota ſua pœnitentia reconciliati ſunt Deo, & impetraverunt, ne deleretur civitas.* (en! quomodo novitate ſeu mutatione vitæ ſalvati ſint, ab excidio & morte liberati, extracti!) Hoc profecto certiſſimum quid eſt, ſi quicquam ullibi in rerum natura certum eſt, quod *Apologia*, dum *novitati vitæ ſalvationem concedit*, nihil minus agat, quam ut Chriſto, fideique in Chriſtum aut gratiæ miſericordiæve Dei ſuum detractum eat honorem, ut pote quem omni ſuo ſcripto, vitæ omniumque bonorum ſuorum periculo, ut & in perpetua, quam continuo inculcat, in nobis Divinæ miſerationis ac peccatorum remiſſionis indigentia, (unde paginæ in dubio ipſo citatæ non contradicunt Apologiæ, maxime, ſi conferantur loca in Sectione Gener. §. 9. Dub.

7. po-

7. poſita) ſancte & religioſe conſervare ſtuduit; adeo ut vix ſeptimam, dictum iſtud: *tota Novitas vitæ ſalvat!* antegreſſam, numerare queamus lineam, ſcil. l. 3. 4., in qua eum (ſalvificæ nempe virtutis) characterem Chriſto illibatum adhuc vindicat & aſſerit, ac inſuper urget: quod *propria Chriſti*, (non vitæ novitatis, aut eleemoſynarum, i. e. omnium charitatis operum per exegeſin p. 118. ſ.) *officia* ſint, *liberare à peccato & morte.* Porro Apol. ſcriptores Eleemoſynis (per vitæ novitatem l. 12. ſimul intimatis) liberationem à peccato& morte, lineis, formulam controverſam immediate præcedentibus, ſc. l. 8. - 10., non ſecus tribuunt, quam *ut pœnitentiæ tribuerant*, in qua tamen ſolùm vera in Chriſtum fides quoad omnes circumſtantias, partes & caſus, omne fert punctum, omnemque valorem non tantum habet, ſed & confert ac operatur; atque ita fidei duntaxat omnia ceduntur in ſolidum, ſed nonniſi veræ & vivæ; hoc enim indigitant verba hæc lin. 10. 11. p. 117. *fidem & fructus* (h. e. fructuoſam) *complecti debemus.* Tandem etiam ſubjicit Apologia: *Ita hic de Eleemoſyna dicendum eſt, quod tota illa novitas vitæ ſalvet.* Quomodo dicendum eſt de eleemoſyna, per novitatem vitæ, in pleno ipſius ambitu, expoſita? ℟. *Ita, Ita, uti de tota pœnitentia paulo ante dictum!* (NB. τὰ ut, ſicut, ita, nam, ad hoc, l. 9. 10. 18. 19. inſtanter Lector remittitur) Atqui & ſupra, & ubique alias, fidei, quæ operibus fæcunda, quanquam non qua, omnia vitæ opera-

operationis, valoris, & gloriæ coram Deo axiomata ex pleno aſſerta & conſervata ſunt. conf. p. 117. lin. 4, 5, 6, 10, 13. 14. 15. 20. 23. - 26. Τῷ *Ita* lin. 11. probe notato ac impreſſo, arduum primo intuitu vel auditu dubium exulabit. Videsne, quam preſſe, quam accurate, & quam terſe Apologia, in ſolido ſuo contextus corpore perſpecta ac æſtimata, ſemet ipſam explanet atque ſtabiliat? Etiam in ſubſequentibus vitæ novitatem non aliter, quam per fidei exercitia exponit, & quidem talis fidei, *quæ accipit peccatorum remiſſionem, quæ vincit mortem, dum ſe magis magisque exercet, & in illis exercitiis vires accipit*; præterea Apologia ex connexione Tobiani Textus ſcite admodum obſervat ac addit, quod fides principium (v. l. 20. τὸ ante. l. 21.) & finem (v. lin. 21. τὸ Et poſtea) operum charitatis novæque vitæ conſtituat, conſervet, & gubernet; fidem ipſam vero l. 23. - 26. ex Tobiæ verbis, adeo plene, profunde, ac biblice determinat & exprimit, ut vix ulla fidei operatio aut indoles nominari aut cogitari poſſit, quæ in iſto tam nervoſo, interna & externa fidei apoteleſmata complectente, dicto, non ſit vel expreſſa, vel nutu quodam intimata. Dictum ipſum ſic habet, cujus dignitas appoſitionem extorquet: *Fides vera ſentit, ſe habere Deum placatum propter Ipſius miſericordiam, & vult à Deo* α) *juſtificari* β) *ſanctificari &* γ) *gubernari. Ultimo* ſubnectit, ſuisque adverſariis commendat Apologia pulchram interpretationis concinnæ regulam, quæ hæc; *Qui excerpunt mutilatas ſenten-*

tias, imperitis fucum faciunt. Requirendi igitur ſunt integri loci, quia, juxta vulgare praceptum, incivile eſt, niſi tota Lege perſpecta, una aliqua particula ejus propoſita, judicare vel reſpondere. Et loci integri prolati plerumque ſecum afferunt interpretationem. Quod ipſum ſi in hac p. 117. obſervetur, omnia ſic dilui poſſe puto, ut, quod amplius deſideretur, non ſit ſuperfuturum. Tutiſſimum autem, & uti Evangelicæ noſtræ fidei, ſic etiam experientis animæ praxi plane gratum & congruum, ad p. 117. lin. 11. 12. reſponſum arbitror, ſi ſic rem concipiam: Fides, quæ perterrefactæ in ſeriis magnisque pœnitentiæ certaminibus, & horribiles, quales ſunt morientium, dolores, ut & humana voce inexplicabilem Dei iram ac mortem æternam expertæ, & in præſentia deguſtantis, conſcientiæ cordisque vera eſt vivificatio; Fides, quæ vere eſt divina, & vitam in paſſiva contritione, in terribili animæ cruciatu, in vera cordis paſſione, in ſenſu peccati mortisque, ac in aſperrimo illo deſperationis certamine fugientem, ſuſtentans, vere vivificans Divini Paracleti, Spiritus Chriſti, conſolatio, hæc inquam fides eſt illa nova vita, (v. pag. 71. 109. 117. l. 12.) & ſalvat contritam conſcientiam à morte, quam deguſtavit, à peccato, quod ſenſit, à Legis ἐγκλήμασι, quæ audivit, à peccati originalis condemnatione, cujus fœtorem olfecit, à metu proceſſus criminalis, quem ſuſtinuit, ab inferno, quem inſpexit, ab inimico chirographo, quod perlegit ac delevit, & à jure Satanæ,

quod

quod ipſi fide devicto eripuit. Hem, quantos, quamque ineffabiles omnino agones eſſe cenſes, mea, ô Chriſtiana, anima, perſentiſcere mortem, ut mera mors eſt, Legem, ut mera Lex eſt, peccatum, ut merum peccatum eſt, luem internam, ut mera lues eſt & ſentina malorum, infernum, ut merus infernus merumque Satanæ regnum eſt, Judicem, ut merus Judex eſt, Sententiam chirographi hoſtiliter condemnantis inſculptam in corde, dolorum terrorumque pleno, videre ac legere, ut merum nigrum ⊖ ſcribit, meramque condemnationem dictat, &c. Quantum, inquam, agonem eſſe putas, hæc experiri, ſentire, pati, & tamen tandem evadere ſuperiorem? O tremendum internæ experientiæ, omnes humanas voces longe ſuperans, & plane practicum Pietatis myſterium, de quo tamen Pſalmi abundant, Apologia, & hymni quidam Eccleſiaſtici, v. c. Es iſt das Heil uns kommen her. Nun freut euch lieben Chriſten Gemein. Mitten wir im Leben ſind. HErr JEſu Chriſt! du höchſtes Gut. Ich armer Sünder komm zu dir, &c. En veram vitæ novitatem, i. e. fidem cordis vivificativam, omni certe jure ſalvantem; cordis enim in fide Dei vita vera demum eſt vita. Solidum eſt hoc Evangelium, totius Scripturæ internæque fidei in nobis praxeos plenum quoddam compendium! Ah quid verius, realius, ſimulque tamen à famoſo Majoriſmo remotius! Superſunt, ut liberaliter reſpondeam, formulam iſtam: *tota novitas vi-*

ta ſalvat, defendendi, ac pro Apol. pugnandi rationes, quas addam. Quemadmodum Scriptura pœnitentiam, regenerationem, renovationem, ſanctificationem, vitæ emendationem, & omnia B. O. ſemper commendat, quin ſub periculo amittendæ fidei & ſalutis magno Zelo injungit, ac urget: Sic, nec ullo alio modo, Apologia vitæ novitatem ſalvantem aſſerit. Vitæ novitas adeo certo ſalvat, ut ſuo ſenſu ſit ipſa ſalvatio, pars & ſtatus ſalvationis, ſalutis, & ſalvati. Vitæ novitas ſalvat, quatenus certam ſalvationis ſpem & facit & obſignat, ac tantiſper, dum adeſt, infallibile electionis ſignum, firmamentum ac teſtimonium fidelibus eſt, & eſſe poteſt. 2. P. 1.; ſalvat, quatenus eum, in quo eſt, tanquam æternæ etiam ſalvationis certo participem futurum, aliis quoque hominibus declarat; ſalvat, dum à prava generatione, i. e. mundanorum hominum indole & conſortio, eximit, liberat ac eripit; ſalvat, dum è vinculis peccati & Satanæ extrahit, à peccato, morte (quæ utique ex lin. 2. p. 117. repetenda tanquam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ & ex materia' ſubſtrata) & inferno liberat; ſalvat, ſtylo N. Teſt. in σώζειν. (σωτηρία enim non ſignificat, accurate loquendo, futuram fidelium poſt hanc vitam gloriam, ſed α) ereptionem ac ſalvationem ex poteſtate Satanæ, ex tenebris, ex culpa, reatu, & ſervitute peccatorum, & β) tranſpoſitionem in regnum Filii Dei, vel in ſtatum gratiæ & vitæ, u-

na cum actuali perfruitione ſpiritualium & cœleſtium bonorum, in quantum quidem fideles actu illorum capaces ſunt, & in quibus animabus ipſorum quies & vere bene eſſe poteſt. Vide connexionem Tit. 3, 3. - 5. Eph. 2, 8. Rom. 4, 7. 8. Matth. 5, 3. ſeqq. 1. Pet. 3, 21. 2. Tim. 1, 9. Luc. 11, 28. 1. Joh. 5, 11. 12. conf. Luther. Cat. Maj. pag. 539. lin. 25. - 27. ubi ſalvationem eodem prorſus modo his exponit verbis: *Salvum fieri ſcimus nihil aliud eſſe, quam à peccati, mortis & diaboli tyrannide liberari, in Chriſti regnum deferri, ac cum eo immortalem vitam agere;*) ſalvat, dum iis, qui ex Satanæ regno evaſerunt, æternam vitam, quæ utique ſalus eſt, in cordibus actu confert, inque illis inchoat; ſalvat, uti τεκνογονία mulierem, 1. Tim. 2, 15. (quod dictum eximie tractat Apolog. p. 242. quod ipſum etiam in eodem, ibi Θεοπνεύστῳ, termino, ac eodem prorſus modo, dictum Apologiæ p. 117. l. 12. juſtificat, adeo ut, quicquid forte vel contra formulam Apol. pag. 117. prolatam, objici poteſt, etiam contra Paulinam poſſit, & quicquid pro Pauli utique vero ac defendendo, imo per ſe ſatis jamdum defenſo, dicto adduci poteſt & debet, idem prorſus etiam pro Apologiæ poſſit, idque quidem tanto magis, quanto plenius ac (ut ſic dicam) inſeparabilius fidem, gratiam, Chriſtum, ac Evangelium &c. involvit, continet, & complectitur illa tota novitas vitæ, de qua Apolog. l. c. quam τεκνογονία, aut uſus conjugalis & œconomica officia vulgo &

 per

per ſe;) ſalvat ſic, uti converſio æternam vitam confert, ap. Ezech. 18, 23. & ſic, uti converſus animam ſuam vivificat. v. 27. 28. Salvat ſic, uti ſpiritualis actionum corporis mortificatio, vitam dat gratiæ, maxime autem gloriæ Rom. 8, 13. ſalvat, ſenſu Rom. 6, 4. 5. 8. 10. 11. 22. Gal. 6, 15. unde Apol. procul dubio phraſin: *Novitas vitæ*, hauſit, & quo forſan ſimul reſpexit. Sunt enim & eſſe poſſunt plenus quidam dicti in Apol. obvii commentarius. Neſcio, an ad locum Tobiæ c. 4, 11. & ad Apol. p. 117. expoſitionem locus Luc. 16, 9. aliquid facere queat. Ulteriori rem & aliorum criſi ac perſpicientiæ relinquo. Atque ſic dictionem Apol. p. 117. ambiguam, ut videri poteſt nonnullis, 1.) ex perpetuo Apol. ſtylo, totiusque doctrinæ harmonia. 2.) ex ipſa p. 117. connexione. 3.) ex conſenſu Scripturæ. 4.) ex ſcopo polemico & hypothetico, ſi non defendi & confirmavi, ſaltem tolerabiliorem, ut puto, & faciliorem reddidi. Magis tamen perſuaſus ſum, quod prius ſit præſtitum. Operetur JEſus in me novam cordis æque ac operum vitam, ut in ordine, quem Deus iis, qui ſalvari volunt & poſſunt, inveniar. Amen.

§. 19. Dub. XIX. Apol. p. 130. lin. 4. 5. Job. 9, 30. ad animi nævos applicat, cum de corporis miſeriis agat.) ℞. Sunt utique, qui volunt, Jobum l. c. non de actionibus mentis aut operibus voluntatis, ſed de paſſionibus corporis, ac externis humanæ carnis doloribus

bus loqui; ſicque ab Apol. l. c. incongrue contra juſtitiam operum allegari; & provocant ad Ebræum Textum, Verſionem Lutheri, & gloſſam ejusdem interlinearem; inſuper, ſi quis dicat: Scripturam h.l. juxta Vulgatam & ad hominem eſſe citatam, regerunt, errorem quidem ſic excuſatum, non autem juſtificatum iri; non vero opus eſſe errore aut erratica allegationis condeſcenſione ad veritatis defenſionē, Theologos etiam tū temporis Papæis non adeo bene voluiſſe, ut, cum bonum & originalem & germanicum textum haberent, in gratiam Papæorum ad hominem ſaltem locuturi fuiſſent & condeſcenſuri, quippe quos injurioſis plane titulis ac epithetis invaſerint, v. c. p. 299. nec ipſos alias dicta per condeſcenſum ad Vulgatam, in gratiam Papæorum citaſſe; & ſi iſta illorum mens fuiſſet, expreſſe ſe explicuiſſent, quod tantum ad hominem citaturi ſint, quod tamen non factum, quamvis neceſſe fuiſſet; quantum enim cœlum à terra diſtet, tantum quoque diſtare actionem animi & paſſionem corporis. Ipſe etiam D. Gerhard Bellarmino, hoc Jobi dictum proferenti, claram explicationem dedit, quod de doloribus corporis agat, & ſic Apologiæ aperte contradixit; Si ergo Apologia ſenſum ſpiritus ſancti habet, D. Lutherus male verterit, & in gloſſa erraverit; ut & D. Gerhardus. Reſpondeo: Equidem nihil prævideo, quod obſtet, ſi Ebræum עִצְּבוֹת per operationes & paſſiones, per inventiones & dolores, per tales excogitationes talium a-

ctuum, unde cruciatus enaſcuntur, exponas. Nec enim deſunt ejusmodi ſignificatuum τῦ עצב in Scripturis exempla & veſtigia; quaſi diceret Job: vereor etiam ea, quæ cum inſigni licet cura adinvenio, & agenda ſuſcipio, ne dolores mihi inde adnaſcantur. Dolores ſentio, dum ex operibus meis dolores metuo. Imaginationes, ideas, & agitationes animi mei vereor, ne forte inſit, quod mihi & DEO & proximo dolores afferre poſſit. Timeo etiam in iis meis propoſitis, quæ ſummo ſtudio & *ἀκριβείᾳ* facere laboro. Etiam, quæ cum dolore quodam bene operari annitor, extimeſco, ne maculæ & anomaliæ ſubſint; quia Tu, ô Sancte DEus, ſemper aliquid, quod arguas, invenies, nec me, dum hic & ſic ſum, innocentem prorſus dimittere, aut tanquam purum habere poteris. Timeo labores ac dolores meos, animo æque ac corpori communes. Quod morbi, nuditas, violentia, frigus, vulnera, plagæ, & miſeriæ externæ corpori, idem peccata, peccatorum agnitio, iræ Divinæ ſenſus, mors, infernus, Satan, conſcientia condemnans &c. animæ excitant ac inferunt, ſcil. dolores. Omnes hos horreo, & expaveſco. Sufficere hæc ad vindicias Apologiæ h. l. poſſent, niſi lubens pleniorem adderem diſcuſſionem. Præſenti inſtituto ſatis eſt etiam, ſi quoddam hic ſubſit parorama ac eclipſis hermenevtica, non tamen fore tanti momenti, ut Apologiæ maculam, aut juſtam incuſationem aſpergere aut attrahere queat. Nec etiam

ad

ad omnes promiſcue ac ſingulas tenentur exegeſes, qui alias LL. Symb. doctrinis candide adhærent & ſubſcribunt. Pro Scripto enim undequaque, etiam in externo elaborationis habitu, conſummato, & nullius omnino ſphalmatis convincibili, nemo prudens cuiquam obtruſum ivit. Lutheri quidem verſio & gloſſa, ut & Gerhardi expoſitio, cum Apol. hactenus non ſentiunt. Sed quid tum? aut quid exinde? Nec Apologia Luthero, nec Lutherus Apologiæ quoad talia præjudicat, imperat, Lex aut norma eſt. Varias Theologos inter dictorum expoſitiones obtinere, cui ignotum? Talia peritorum relinquuntur arbitrio. Ex vulgata locum citatum eſſe, autopſia teſtatur. An ex condeſcenſu, an vero ex proprio in verſionis rectitudinem conſenſu, an quia Ejus uſus invaluerat, certo demonſtrare nequeo. Poſtremum mihi videtur. Vulgatam enim ab Apol. communiter retineri, ut longo uſu familiariorem, dictorum monſtrat evolutio. Ceterum in gratiam adverſarii ad ejusdem palatum dictum quoddam citari poſſet, ut quis tamen animum & jus ſuum ipſummet, ſicubi opus, gravi zelo compellandi, & de impietate monendi, nec exueret, nec cederet. Qui porro verba iſta de corporis moleſtiis exponunt, in ſubſidium allegare poſſunt v. 17. 18. 23. 25. 26. & clarum in textu vocabulum עִצְּבוֹת dolores; Qui vero de laboribus animæ, illi niti valent 1.) toto capitis ſcopo, qui ex contextu fere ubivis manife-

ſtus eſt, ſcilicet, Juſtitiam hominis coram Deo eſſe nullam. v. 2. 3. 14. 15. 20. 30.--- 33. 2.) admiranda Dei Eſſentia, Eminentia, Attributis & Operibus, ob quæ nemo hominum coram ipſo ita juſtus eſt, ut cum eo contendere poſſit. v. 4.-- 10. 13. 14. 19. 22. 24. 3.) hominis impotentia, impuritate ac ineptitudine, quæ ipſum ſemper inquinat ac retardat, quo minus ad perfectam cum Deo converſationem & harmoniam pervenire valeat. v. 11. 12. 14. 15. 16. 21. 28.--- 33. 4.) eorum, quæ videntur obſtare, facili ſolutione; nam v. 17. 18. 23. 25. 26. de interno eoque deplorato animæ ſtatu faciIlime exponi poſſunt; quid Scripturæ magis in more poſitum eſt, quam externis ac terreſtribus interna & cœleſtia præfigurare ac depingere? Annon turbo, labores, defatigationes, vulnera, ſpiritus agitatio, amaritudines, flagella, mortis ſenſus, redargutiones &c. ipſa ſpiritualium tentationum, quarum v. 23. expreſſe meminit, emphatice exprimendarum adminicula & vocabula per totam Scripturam ſunt, præcipue in pſalmis? Et annon, qui vere convertuntur, iſta ſingulatim vel omnia, vel certe potiſſima, (alius quidem plus, alius minus, prout divinæ Sapientiæ beneplacitum id cuique neceſſarium & ſalubre novit & videt) ſentit ac experitur? Annon internus iſtorum ſenſus conſcientiæ oſtendit defectus, etiam leviores (ut ſic loquar, coram Dei oculo enim ſatis graves ſunt, ut & in ſollicito pioque corde) & quam nihil pro-

priæ

priæ juſtitiæ coram ſancto Dei throno in nobis aut vere ſit, aut quantillum valeat? Annon cor noſtrum humiliet vitæ noſtræ fuga & velocitas v. 25. 26. qua etiam fit, ut quaſi aliud agendo tempus conſumamus. Annon adeo ſocors temporis prætermiſſio magni cujusdam peccati nos coram Deo, qui id, quia breve, redimere, inque pios uſus convertere juſſerat, reos facit, novumque injuſtitiæ noſtræ argumentum & Deo & Conſcientiæ noſtræ ſuggerit? quid æquius ac juſtius inde emergit, quam illud quoddam poriſma: Verebor omnia opera mea! Timebo omnes labores meos! Contremiſco ob omnes miſerias meas! Horreo ambitum, complexum & univerſalitatem dolorum meorum! Quid agam, niſi, cum iſta omnia probe cogito, ut doleam, dolorumque in mente & carne memet originem perſentiſcam? Agedum, ô anima mea, cavebo mihi deinceps ab omnibus doloribus ſuperatis, timebo figmenta mea, molimina mea, imo omnia mea cogitata! Non confidam actionibus meis, non acquieſcam illis, quaſi rem bene geſſiſſem! Excutiam ſingula operum, omniumque, quæ & ago & patior, meorum momenta! Cauta, callidæque naturæ meæ perquam neceſſaria quadam diffidentia diffidam mihi etiam in B. O. Penetrabo in viſcera eorum, quæ facio, & erunt nævi, quos potero deprehendere; erunt, quæ me tanto magis ad humiliationem & humilitatem intus ac extus coram Summo Jehova obligabunt, quanto intimius

timius me cognovero & Ipſum! Operabor ſalutem meam in tremore & pavore; novi enim, ſentio ac video, quanta mihi adhæreat impuritas, etiamſi me nunc nive lavero, facile tamen maculari potero; ſemper iterum ſordes quasdam, quæ extergendæ, colligo; lotus licet, pedum tamen lotione egeo. Bonis operibus ſtudebo, ſed quaſi non egerim, mihi videbor. verſ. 16. Nihil novi tutius, quam me ſemper accuſare, coram Jehova vero me proſternere ac annihilare, id quidem tanto ſeverius, quanto minus Te delinquenti parcentem agnoſco, ſcio, verſ. 28. Sic forſan in animo ſuo ſe habebit, qui Jobi dictum ad animum refert. Sed quæſtionis exegeticæ me nec æſtimo nec facio idoneum arbitrum. Apologiæ tamen expoſitionem, ab ipſa plus duntaxat intimatam, quam expreſſam, etiam ob conſcientiæ meæ guſtum ſequor, niſi quod eorum, qui de corporis doloribus accipiunt, mentem non arbitrer oppoſitam, ſed ſubordinatam, & ex illa priori multum & certo exorientem. Uti enim ibi, *ubi anima, recuperata ſalute, convaluit, corporis quoque valetudo ſalva eſt.* Per Luth. p. 565. lin. 15. 16. Ita etiam, anima laborante, laborat corpus, patiente ac dolente, patitur ac dolet, extimeſcente extimeſcit. Et qui ſollicite ad ea, quæ in anima ſentit ac patitur, attendit, idem quoque faciet in illis, quæ corpori patienda eveniunt; ut ſic plane apte Hebræum verbum (עצבות dolores, cruciatus, compunctiones, inven-

tiones,

tiones,certorum dolorum ſcaturigines) & animæ & corpori applicari queat, prout Scriptura animæ labores, cum acutiſſimis doloribus arctiſſime conjunctos, imo ferme idem & exiſtentes & conſtituentes, crebro exhibet v. c. Pſ. 6, 7. Laboravi ad laſſitudinem usque in anhelitu, & gemitu meo! Matth. 11, 28. Horſum omnes illi in percuſſis pectoribus ac ploranti mœrore laborantes! Imo vox כל omnia (univerſitas, complexus) plenam hanc dolorum interpretationem tantum non poſcere videtur, ut etiam ad ſpecies dolorum, ex laboribus operibusque humanis plerumque provenientium, ſe extendi velit, q. d. Omnia, quæ patior & ſentio, quæ fiunt & dolent in anima æque ac corpore meo, ſive ſint opera mea, ſive dolores mihi immiſſi, vereor, veritus ſum, & verebor, i. e. reverendo admodum coram Jehova modo ſuſpiciam, perquiram, pervidebo, meditabor, & in ſalutares mihi uſus convertam, & curabo Deum invocando, timendo, amando, ne redeant iſti dolores, labores, vulnera, amaritudines &c. & omnia iſta, quibus anima una cum corpore premitur ac defatigatur. En hoc modo Apolog. cum Luthero & Gerhardo (quoad ſignificatum dolorum ad animum & corpus applicabilem) conciliatam, & in expoſitione, practicam conſcientiæ vigilantiam ac diſcuſſionem urgente, vindicatam! Sufficit, ſi quid hic deſideratur, prægrandem aliquam mendam ab Apol. commiſſam, evinci non poſſe, ſed variare interpreta-

tatio-

tationes; quanquam negare, ut non volo, ita non poſſum, Ebræum textum proprie, πρώτως ac formaliter dolorum, horribilisque dolorum metus, expreſſe mentionem facere, & vocabulo dolores ſignificante uti, (quos quidem & animæ & corpori convenire, hactenus oſtenſum ivi, nec id ab ullo ſano negari poſſe puto,) opera tamen, labores & actiones noſtras verendas cavendasque tantum implicite, indirecte, & nonniſi virtualiter involvere ac præſupponere, ut pote ex quibus ſolis & propter quas timendi illi ac horribiles dolores enaſcuntur; immediate ergo de doloribus ſeu paſſionibus (animi æque ac corporis) mediate autem, reductive, & per demonſtrativum quendam regreſſum (ab effectu conſequentique ad cauſam & antecedens) ſimul de operibus & actionibus animi ac voluntatis agit locus Jobi 9, 28. quod ex Verſione Vulgata citatum toti huic ſcrupulo unicam dedit cauſam. Magnam lucem toti rei collatio Job. 9, 28. & Eſai. 38, 15. Ibi ſic: יגורתי כל עצבותי. Extimeſco omnes dolores meos! Cavebo! Hic: אדדה כל־שנותי על־מר נפשי Leniter incedam per omnes annos meos ſuper (propter) amaritudine animæ meæ. Quod ibi vocat metum & cautelam, hic vocat lenem inceſſum tanto attentiorem, quanto pes noſter lapſui magis eſt obnoxius. Quod ibi dolor, hic animæ amaritudo audit. Peccatum, quod Deo dolorem expreſſit, Deumque doloribus in corde Ipſius implet, quid juſtius, quam ut parem

rem effectum & animæ & corpori peccatoris imprimat ac infigat? Amarum qui commiſit & protruſit, quid æquius, quam ſi, quod produxit, etiam deguſtet? Dolor, amaritudo & mœror, hominis & culpa ſunt & pœna. Periculum expertus, igne uſtulatus, quid prudentius faciet, quam ut ſemper ſibi caveat? procax & temerarius fuiſti? Eſto jam eo cautior & meticuloſior! Uſſit? ne tange, ne accede! Cecidiſti? moderare greſſum, tempera inceſſum, cohibe pedem præcipitem! Amarum cordis in pœnitentia mœrorem & luctam præguſtaſti? Diſce abſtinere ab infucato peccati amarore. Videſne, quam indivulſum inter actiones animi & paſſiones corporis etiam intercedat unionis & mutuæ conſequentiæ vinculum? Malum paſſionis excipit & comitatur malum actionis! Habent hæc communem indolem, operationem ac appellationem. Timeat anima mea dolorum origines, i. e. opera prava, ut ab iisdem, qua pœnæ ſunt, tanto evadat liberior! Amen.

§. 20. Dub. XX. Apol. p. 150. ait: Indigni Miniſtri repræſentant Chriſti perſonam, cum verbum Chriſti, cum Sacramenta porrigunt, & audiendi ſunt; At p. 155. 296. 348. dicitur: Impii Doctores deſerendi, quia hi jam non funguntur perſona Chriſti, ſed ſunt Anti-Chriſti, quando igitur impia docent, non ſunt audiendi, ſed per Pauli juſſum vitandi & exſecrandi, tanquam anathemata. Annon hic contradictio?) ℞. Expoſitio dictorum ll. cc. al-

cc. allegatorum Biblicorum, eorundemque ab apparente antiphonia liberatio exponit, liberat, conciliat & vindicat quoque Apologiæ effata; quo enim ſenſu Biblici textus capiuntur, eodem & Apologia, dum eos citat, capienda. Mendaces falſique ſcilicet Doctores qua tales cavendi ſollicite, ſed qua in doctrina &c. ἐγγεάφως ſe gerunt, ſequendi & audiendi. Matth. 7, 15. 23. 2. 3. etenim videtur, quaſi Apologia inter malos miniſtros & inter impios doctores diſtinguat, eosque intelligat, qua in ſe ſuisque perſonis quidem pravi ſunt, ſed tamen propter vocationem Eccleſiæ Chriſti vice & loco verbum Chriſti & Sacramenta Chriſti porrigunt; hos autem, qua impia, falſa, ab Evangelio Apoſtolico aliena & Anti-Chriſtiana docent & prædicant; ibi miniſtrorum malitia & indignitas verbi ordinationumque divinarum efficaciæ nihil officit; ſed hic impietas & mendacium, &, quia verbum Chriſti non proponunt, ideo deſerendi ſunt; ibi perſonam Chriſti gerunt, non hic; Qua Sacramenta adminiſtrant, Chriſti loco faciunt, qua vero impia docent, Anti-Chriſti vice funguntur, & anti-Chriſti ſunt; hic vitandi, non illic. Mali miniſtri dicuntur illi, qui male vivunt & in vitiis. v. p. 156. impii autem doctores, qui pravas doctrinas impiasque opiniones ſpargunt, vulgo Heterodoxi audiunt. Huc pertinet & facit forſan diſcrimen inter organon phyſicum & morale. Cum illo convenientiam quandam habere videntur mali

li

li miniſtri, cum hoc impii doctores. Quamvis etiam hoc (abſit tamen omne Donatiſmi confinium) mihi videatur admodum probabile, malum miniſtrum impio Doctori nonnunquam aut eſſe, aut ſaltem facile admodum fieri poſſe, valde propinquum, ſi doctrinæ & propoſitionem (quando quidem vetus fermentum verbo gratiæ admiſcetur) & praxin reſpiciamus. Et ſic p. 150. cum p. 155. mihi conciliabilis, idemque ſentire videtur. Defectus rectæ doctrinæ, fraudulenta occultatio aut negatio divinitus revelatorum per Apol. facit impium, falſum & vitandum doctorem. Eſt enim per A. C. art. 7. character & Eccleſiæ & genuini Eccleſiæ membri recta Evangelii doctrina. Adverbium *recte* l. c. in A. C. " non tantum alieni verbi ſubſtitutionem ex-" cludit, ſed etiam veri verbi corruptionem, " quæ ſub ſe complectitur tam fundamenta-" lium dogmatum, quam ceterorum, divini-" tus revelatorum, malitioſam impugnatio- " nem & negationem; exponente ſic Carpz. " in Iſag. pag. 309. "

§. 21. Dub. XXI. Apol. p. 156. dicit: in Eccleſiis noſtris (Proteſtantium ſcil.) nulli extiterunt Anabaptiſtæ; annon hoc falſum ex Hiſtoria iſtorum temporum?) ℞. Certe digni fuerint Apologetæ, quibus de ſui temporis hiſtoria teſtantibus fides adhibeatur. Notandus etiam eſt annus, quo ſcripta eſt Apologia, ſcil. 1530. & reſtrictio ad ſuas Eccleſias. Non dicunt enim, nullis vel reformatis, vel refor-

mari demum incipientibus Eccleſiis, extiterunt Anabaptiſtæ, ſed tantummodo, tum temporis inter ſe, i. e. in Eccleſiis ſuperioris præcipue Saxoniæ & Electoratus, ac iſto tempore, nullos extitiſſe Anabaptiſtas. Non dicunt, nullos aliunde ad ſe perveniſſe, & inter ſuos ingreſſum tentaſſe, ſed in ſuis Eccleſiis nullos extitiſſe (entſtanden) ſeu ortos fuiſſe, non tamen id negant de aliis, verbo Evangelii nondum ita dilucide ac diſtincte illuſtratis, & necdum in vere Chriſtianum tranquillumque tam doctrinæ quam vitæ ordinem ac genus compoſitis, ſimul tamen in omnimodam Tyrannicæ & idololatricæ Paparchiæ oppugnationem atque exterminationē igneo quodam & præfervido zelo accenſis & excitis locis ac Eccleſiis. Reſpicit inſuper textus Apol. ad impiam & ſeditioſam factionem illorum latronum, quam etiam, una cum efficaci ſe & populum adverſus periculoſos in religione exceſſus communiendi medio, lin. 18 - 22. exprimit. Quodnam eſt iſtud, inquis? Pura & diligens Verbi Dei ac Evangelii doctrina! En quomodo determinatio ad locum, tempus, & enormes iſtos ac ἀνεξουσίους Anabaptiſtas (qui alibi vere tumultuabantur) rem ſatis veram evincit, & quam impudentis mendacii potuiſſent convinci, ſi ullo modo ſecus fuiſſet; non enim defuiſſent, qui in publicum ipſos dediſſent ruborem.

§. 22. Dub. XXII. Secunda ratio in Apol. p. 157. & Luth. Cat. p. 544. à conſequente, divina

divina ſcil. per Spiritus Sancti donationem ſe manifeſtante Baptiſmi approbatione, dependens, Pædo-Baptiſmum non ſatis evincit.] R. Fateor, hunc ipſum ſcrupulum conſcientiam meam acerbo & inquieto murmure multoties excruciaſſe. Argumento enim petito 1.) à catholico Chriſti mandato, quo, quia Chriſtus Baptiſmum omnibus offert, ideo etiam omnes (viros, mulieres, pueros, infantes, ut Apol. p. 156. f. loquitur) baptizandos, colligitur, 2.) à fine Baptiſmi, ſcilicet promiſſæ gratiæ applicatione, quo ſic infertur: ad infantes pertinet promiſſio gratiæ & ſalutis. Ergo etiam medium, eandem offerens & conferens, ſua in corde meo vis conſtabat adhuc; ſed argumentum, quod 3) à conſequente, divina ſcilicet propter Spiritus Sancti donationem approbatione ſumebatur, ne quidem recte concipere poteram. Argumentum quidem ipſum hoc eſſe, probe noveram: Baptiſmum parvulorum Deus adprobat Spiritus Sancti donatione. E. Baptiſmus Infantum Deo gratus eſt & acceptus. Deum enim dare ſic baptizatis Spiritum Sanctum, nondum perſpicuam menti meæ notionem quandoque imprimebat, præſertim cum Lutherus p. 544. id de Sanctificatione & Spiritus Sancti communicatione deinde demum ſubſecuta ſeu ſuccedanea, videretur exponere; unde ſe ultro inſtantia in me crebro produxit: Atqui etiam Turcis & Judæis, ſtatim à partu circumciſis, poſtea vero ad Chriſtum converſis, Spiritum Sanctum do-

nat, imo etiam multis impiis. Ergone etiam Deus circumciſionem, quin impietatem, approbat? Donec tandem præter poſt ac ultra intimiorem & humiliorem de actuali, [ſimplici tantum animo credenda ac divino Sapientiæ, & Energiæ myſterio relinquenda] Spiritus Sancti in, ſub, cum & per baptiſmum collatione atque donatione cogitationem, ut & poſt totius negotii ad conſcientiam meam applicationem, & rei coram Deo cum corde meo collationem, etiam hoc, & quidem ſingulari quodam ſenſu guſtuque, animo, firmũ, cui tuto poſſet inſiſtere, πȣ̃ & centrum, in quo quieſceret, anhelanti, ſatisfacit, ſcilicet: Deus baptizatis Spiritum Sanctum ita dat, ut tamen baptiſmum à partu ſtatim acceptum in iisdem per dati Spiritus Sancti teſtimonium (qui in corde officium ſuum explet, & quoque teſtatur de eo, quod Deus à nobis omitti &c. vult) nec improbet, nec tollat, nec indigne ferat, aut valore ſuo exuat, ſed multo potius, imo omnino, ad fœdus in eodem cum Ipſo percuſſum, hominem in conſcientia ableget, reducat & devinciat. Hoc enim tanquam certum ac ἔγγραφον præſuppoſitum habendum: Baptiſmo etiam aquæ externo (ſenſu orthodoxo, non quaſi duplex eſſet) Chriſtiani ſunt tingendi! Qui autem nunc ſunt fere ubique Chriſtiani, infantes adhuc exiſtentes baptiſmo inſiti & adſperſi ſunt, nec tamen, ſi & poſtquam (adulti plerumque) illuminantur & convertuntur, baptiſmum ſuum iterandum,

dum, in infantia vero collatum annullandum eſſe, ex verbo Dei diſcunt, convincuntur & cernunt, nec etiam citra formidinem læſionis conſcientiæ, & metum peccati, hoc attentato contra Deum & Verbum Ipſius committendi, tale quid audent ac agere præſumunt, ſed potius de eo ipſo, ſibi tenellulis collato, mirum in modum lætantur, & omnem ſuam operam in promiſſo coram Jehova, Ipſique Domino, Patri, Filio & Spiritui Sancto contra carnem, Satanam & mundum adeo religioſe jurato & addicto, ſancte tantum & accurate ſervando, per Chriſti fidem navant & collocant. Exinde igitur conſcientia mea animadvertit, baptiſmum mihi puero collatum gratum eſſe debere, ut quem à me (quod per αἴσθησιν cordis mei coram facie Domini experior) in irritum revocari nec vult, nec permittit, nec vanum eum vel fuiſſe vel eſſe, ex verbo ſuo ſcripto mihi monſtrat; quando autem Deo gratus acceptusque eſt, & placet, verbo Ipſius ac voluntate revelata eundem niti oportet; ſi vero hoc, (uti ſane eſt) jam habet cor meum ſatis immobile fulcrum, quo ſolidum in tentatione pedem figere poſſit. Atque ſic tandem Philippi p. 157. & Lutheri p. 544. 545. à poſteriori inferendi rationem, & modum ad abſurdum deducendi penetravi; ſcil. Absque baptiſmo non eſto (nemo eſt) Chriſtianus! Nunc autem nobis inter Chriſtianos, & ad externam Eccleſiæ ſocietatem pertinentibus, prognatis confertur in infantia *baptiſmus*, qui *ſi*

irritus, atque effectuum, quos divina Gratiæ media operantur & conferunt, omnino expers, adeoque ipſo divino jure nullus & caſſus eſſet, Chriſto etiam non probaretur, *nulli* horum ſic baptizatorum infantum *daretur Spiritus Sanctus* (niſi excuſſo, revocato & abdicato illo, Jehovæ Legislatori ingrato & diſplicente, contra Verbi Ipſius voluntatem ac ordinationem introducto opere & ritu, pædobaptiſmo ſcilicet; κατ' ἄνθρωπον hæc dicuntur, & utique non κατ' ἀλήθειαν; ſed exinde etiam, quia Spiritus Sancti donatio omnium Deo ſancto diſplicentium rerum ejectionem, improbationem ac abrogationem operatur, quod idem certe ab omni pio, cui Deus Spiritum Sanctum impertit, in & cum ipſius ipſi infanti applicato baptiſmo, fieri deberet imo futurum eſſet, ſiquidem humana traditio, vanaque & fruſtranea, ac pro cultu Dei inaniter jactata hominum doctrina, ſicque (abſit blaſphemia dicto) nequitia & mendacium, ac denique planta à Patre Chriſti non plantata, & ob id ipſum quoque eradicanda eſſet, prout Matth. 15, 14. 13. legitur, & ab A. C. de traditionibus humanis exponitur pag. 41. f. coll. reſponſ. ad dub. 21. §. 21. Sect. Spec. Subſect. I.) *nulli fierent ſalvi*, qui & quia perverſum ac præpoſterum (κατ' ἄνθρωπον loquor) in infantia acceptum baptiſmum non agnoſcerent aut declararent irritum, (baptiſmum infantum non eſſe irritum, urget p. 156. l. 17. 157. l. 6.) alium autem, quem ex juſſu divino habere debebant

(juxta

(juxta hypotheſin Anabaptiſtarum) ſcil. re-ctum, non forent habituri, ſed in perpetua ἀ- & ἀντι-γράφῳ ἐθελοθρησκείᾳ verſaturi. *Deni-que nulla eſſet Eccleſia*; omnes enim, qui nunc Eccleſiam Dei viſibilem ac potiorem conſti-tuere ſolent, in infantia ſunt baptizati, pædoba-ptiſmus ſi Deo eſſet adverſus, eo potiti præci-puam Dei ordinationem omiſiſſent, eaque fo-rent deſtituti, quippe genuina Dei immerſio-ne cariturі, atque ſic circa omnes de ſacro, verboque Dei ac Deo Ipſi unito, aquæ Baptiſ-mo, in Scriptura obvios Textus, aqua ipſis in conſcientia hæſura eſſet, & porro ex iiſdem perpetuæ, imo ne quidem agnitæ, tantum ab-eſt ut deploratæ, adverſus præſcriptum Dei mandatum inobedientiæ, ac ἀντεξουσίου cujus-dam diſpenſationis argui & convinci poſſent; qualia penes quos ſunt, ii certe Eccleſiam Chri-ſti non conſtituunt; inde amplius verbum Dei, & fidei articulus vim pateretur aut peri-culum, ſcil. quod Sancta Chriſtianorum Ec-cleſia usque ad conſummationem ſeculi non ſit interitura; quod ſi vero baptiſmus in-fantum eſſet ἄγραφος, nec juſtus, legiti-mus, nec Deo acceptus, aut accipienti ſa-lutaris, & tamen præter eum, alium non acce-perunt tot innumera fere etiam verorum Chri-ſtianorum millia, tunc aut ſequeretur, quod per tot ſecula, quæ ad illum usque diem, quo demum pædobaptiſmus publice, & tanquam in theſi quadam, ſub periculo & prætextu reje-ctionis divinæ cujusdam Veritatis, adeoque

grandis in Deum & Dei verbum delicti (ſi ſecus ſtatuatur) cepit improbari, abrogari, imo etiam irrideri ac traduci, elapſa erant, & in quibus puerorum baptiſmus penes Chriſtianos obtinebat, nullus tamen hominum Chriſtianus fuiſſet perhibendus; Aut, quod homines etiam poſſint veri & genuini eſſe Chriſtiani, adeoque etiam conſtituere Eccleſiam & ſalvari citra externo-viſibilem aquæ, verbo Dei tamen deificatæ (vox Carpzovio etiam uſurpata in Iſag. p. 1092. ex Luth. Tauff-Pre-digt Anno 1535. habita, ubi audit, Durch-gottet, vergöttert Waſſer. Verba excerpſit Iſag. Carpz. p. 858. 859.) Baptiſmum, tanquam ſingulari quodam privilegio ab obſervatione multorum Biblicorum, Baptiſmum valde urgentium, Textuum exempti ac abſoluti; quod ego quidem lapſum in extrema puto; nec etiam iſtam, nimis ſic extenſam, Libertatem, aut iſtum mere internum ſpiritualemque Novi Teſtamenti & Chriſtianiſmi ſtatum, ad conſtantem usque conſcientiæ ſatisfactionem ex harmonia Script. S. evincere hactenus potuerunt illorum aliqui, queis tremor in Anglia nomen dedit. Iſtam ergo Apol. & C. Maj. argumentandi rationem, tanquam ad bonas piasque contra rationis ſcrupulos ſatis confirmandas mentes, v. p. 157. ſi vel ſola ſit, abunde potentem, imo fere optimam & firmiſſimam pro ſimplicibus & indoctis comprobationem per Lutherum p. 545. conſcientiæ Tuæ, in ſerenam tranquillitatem transferendæ, in Domino ſtude,

ut

ut imprimas! Quæ autem abſcondita & imperſcrutabilia de fide, modo, motu, ſenſu ac vita fidei in parvulis diſſeruntur, aliis linquas. Tu ſimplicem, tanquam nunc adultus, fidei praxin experire ac ſequere, & quod infans promiſiſti, adoleſcens &c. i ſervatum, ne primam fidem abneges. Dominus miſereatur mei, qui ſcripſi, Tui, qui legis, hæc!

§. 23. Dub. XXIII. Apol. p. 157. f. Cat. Maj. p. 554. f. ſi non transſubſtantiationem ipſam, certe tamen phraſin, probat, redolet, uſurpat.) ℞. Ipſi F. C. autores ad hoc dubium in Conventu Tangermund. ad Albim Anno 1578. 15. Mart. reſponderunt: Veterum verba allegari, quæ, etſi primo intuitu videantur confirmare mutationem panis in corpus Chriſti, non tamen de Papiſtica Transſubſtantiatione in ſuis aliisq; Eccleſiis ea intelligi, ſed tantum de vera eſſentiali diſpenſatione & manducatione corporis Chriſti in cœna, refer. Hoſpin. c. 2. p. 211. Aſt nimis leve ac perfunctorium eſſe hoc reſponſum, regeſſit Wilhelmus Landgravius ap. Eund. p. 214. & nimiam hic ſui ad Papiſtas interveniſſe accommodationem, ut idem penitus in hoc articulo cum illis ſentire viderentur, ap. Hoſpin. p. 285. Res ex Apologiæ ſcopo & phraſeologia Patrum diſcernenda. Iſte fuit, ut Proteſtantes Zvvinglianorum (ut loquuntur) errorem à ſeſe removerent, ac Imperio Romano oſtenderent, ſe docere receptam in Eccleſia Catholica ſeu Romana, quatenus ex Scriptoribus nota eſt, A. C. p.

19. f. doctrinam, conf. p. 158. lin. 14.-23. Hæc fuit, quod per vocem Converſionis, Mutationis &c. illi non ſubſtantiæ elementorum mutationem, ſed mutationem Uſus intellexerint, & nihil aliud ſignificatum iverint, quam quod panis & vinum alium nunc nanciſcerentur uſum à vulgari illo in communi cœna, myſticum ſcilicet, ac fierent media communicandi corpus & ſanguinem Domini noſtri. Unde liquet, quo ſenſu & Canon Miſſæ in Græca Eccleſia, & Bulgarius fuerint allegati. Eſto enim. 1.) de Transſubſtantiatione aliquid ibi perhiberi, tamen ab Apol. hoc non fuit attentum, quæ ſaltem realis ac veræ præſentiæ corporis Chriſti in cœna ibidem aſſertæ rationem habere voluit, quicquid fuerit de nævo circa præſentiæ modum, quem Canon & Bulgarius forte habuerunt. Et ſuffecit Apologiæ, *κατ' ἄνθρωπον* modo aliquem Eccleſiæ Patrem ac veterem Scriptorem, qui veram & realem corporis Chriſti in cœna præſentiam ſtatuerit, nominaſſe. 2.) Non ſtatim ſequitur Transmutatio, ſi apud Veteres vocabulum hoc mutationem ſubſtantiæ ſemper ſignificat, ſed etiam frequentiſſime ad uſum ac finem extenditur, cujus ratione res aliqua mutari dicitur, quando ad alium finem, quam qui alias deſtinatus eſt, applicatur. Et ita in doctrina de Cœna panis ac vinum mutari dicuntur, quando non ad nutriendum corpus ejus, in quod aſſumitur, ſed ad exhibendum corpus & ſanguinem Chriſti communicanti per plane novum ac

ac inauditum officium applicantur. Et ſic Patres ejusmodi phraſibus durioribus intellexerunt mutationem non ſubſtantialem, ſed accidentalem ſeu officii, quod panis non ſit amplius vulgaris panis, ſed *κοινωνία*, ſeu medium exhibitivum corporis Chriſti, quodque ab uſu profano in plane ſacrum abeat. Et peculiariter de Bulgario notari debet, quod non tantum vocabulum mutationis, ſed etiam Transelementationis uſurpet, ſicut ab Hofmeiſtero ſuper art. 10. Aug. Conf. ap. Fabrit. f. 190. id annotatum fuit. Sed ſi ad indolem phraſium hujus Scriptoris reſpiciamus, deprehendimus, eum etiam vocabulum Transſubſtantiationis de fidelibus uſurpare, qui in Chriſtum transmutentur, & de mutatione corporum noſtrorum, quæ ex ſtatu corruptionis in ſtatum gloriæ mutentur. 3) Verba vertere &c. p. 554. obvia exponuntur & vindicantur ſatis in Form. Conc. p. 732. pr. lin. 8 - 10. 4) Nemo tamen jure inficias ire poteſt, quod phraſi p. 157. valde duræ, & ſcrupulo inde oriri ſolito, ſuccincta & diſtincta quadam epicriſi &c. ab Apol. potuiſſet præveniri, quod forſan factura fuiſſet, ſi tam acres cenſuras prævidiſſet, & non potius ex ſcopo totoque doctrinæ ſuæ Syſtemate, quam ex nonnullis allegatorum voculis judicandam ſe ſtitiſſet. Apologiæ mentem abunde defendunt Apol. Libr. Conc. c. 9. p. 166. Haupt-Werth. des Augapff. p. 282. §. 35. 36. Hutteri Conc. Conc. c. 56. p. 1418. Iſag. Carpzov. p. 351. 352. 866. Kromeyer. Theol. poſ. Pol. p. 935.

§. 24. Dub. XXIV. Apol. p. 157. autorem (Vulgarium) ſub eo, quo citatur nomine, nuſpiam obvium allegat) ℞. Eſt, ut videtur, σφάλμα, ac legi debet Bulgarius, intelligi autem Theophylactus, Bulgarorum Epiſcopus, qui anno 1071. vixit. v. Gerhard. Patrol. p. 532. & Eraſm. in Cap. 1. Luc. p. 113. Sententia ab Apol. allegata, quod panis non tantum ſit figura, &c. legitur expreſſe in Theophylact. ſuper Marc. c. 14. ex Verſione Oecolampadii p. 74. conf. Lutheri Colloqu. Menſal. (ut vulgo appellantur) p. 243. c. 30. & Carpzov. Iſag. p. 352.

§. 25. Dub. XXV. Apol. p. 158. 159. expreſſe dicit: Abſolutionem eſſe Juris Divini; at Aug. Conf. & Art. Smalc. p. 12. artic. XI. p. 331. eandem æquiparant Confeſſioni, quæ tamen, etiam ex Aug. Conf. ſententia, p. 28. pr. tantum Juris humani Eccleſiaſtici eſt.] ℞. Diverſus conſiderandi modus expedit difficultatem. Confeſſio enim, ut & abſolutio eſt Juris & Divini & Humani. Divini quidem, in ſe ſpectata, & tanquam in ſe cultus Dei; Humani vero, ratione circumſtantiarum, Loci, Temporis, Perſonæ, & confeſſionis privatæ particularis diverſo modo antecedaneæ; ad quas privatas circumſtantias confeſſio & abſolutio jure Eccleſiaſtico determinata eſt, & ſic, quatenus utraque ex humano præſcripto ac more certam formam habet, utique etiam juris eſt humani. Conf. Chemnit. Examen. P. II. p. 371. 373. Carpz. l. c. p. 363. 389. 857. 868 ſeq.

§. 26

§. 26. Dub. XXVI. In Apol. p. 159. 200. 167. conſ. p. 165. 549. Abſolutio, ut & pœnitentia, dicuntur proprie ac vere Sacramenta.] ℞. Melanchthon & Apologia in toto ſuo Sacramentorum definitivo & explanativo diſcurſu, hypothetice, κατ᾽ ἄνθρωπον, elenchtice, & ex principiis Papiſticæ definitionis pugnat & loquitur, atque inde pro cauſa ſua illatum, adverſarios autem convictum it. NB. p. 200. l. 16. τὸ SI. Et ſecundum quid ſaltem de Numeri Sacramentorum controverſia aliquid remittit, ſcil. *ſi res ſalva, de vocabulis non rixandum.* p. 200. lin. 10. - 15. 32. - 34. etiam coll. p. 135. ſ. 139. lin. 1. 23. 24. Id enim duntaxat nos inter & Papæos controvertitur: An pœnitentia, Ordo, Confirmatio, Unctio, Matrimonium, ejusdem qualitatis generisque, & ejusdem virtutis actiones ſint, atque Baptiſmus & Cœna? non autem, an quædam aliæ res & actiones ſenſu quodam generaliori Sacramenta vocari queant. Nec vox Sacramenti abſolute ponitur, nec Sacramenta in ſuo ſtrictiori (quatenus hic latiſſimo tantum opponitur, nec ſtrictiſſimum ſibi ſubordinatum agnoſcit) ſignificatu definiuntur. Cum igitur abſolutio ſeu Pœnitentia dicitur Sacramentum, non fit id ſimpliciter & in ſignificatu propriiſſimo, etſi in proprio. Sumitur enim vox Sacramenti nunc α) late & generaliſſime, pro quavis re arcana & incomprehenſibili; nunc β) ſtrictius, ſpecialiter, & ſecundum quid proprie, pro rei cœleſtis ſacræque ſigno, divinitus ordinato,

dinato, & ſic Sacramenta ſunt illi ritus, qui habent &c. v. p. 200. nunc γ) ſtrictiſſime, propriiſſime & ſpecialiſſime, pro ſolenni ac ſingulari actione, qua verbum accedit ad elementum, & qua promisſio Evangelii per externum & viſibile elementum, divinitus ordinatum, obſignatur, & bona promiſſa gratioſe conferuntur, applicantur. Carpz. Iſag. p. 402. num. II. Et horum, ultimo ſenſu dictorum, Sacramentorum proprietates Eſſentiales ſunt 1.) Verbum, tam mandati, quam inſtitutionis. 2) Elementum externum ac viſibile, & 3.) promisſio gratiæ & redemptionis, ex Chemnit. Exam. Part. 2. fol. 204. in Carpz. Iſag. p. 411. Retinuit autem Apologia latiorem aliquem de Sacramentis conceptum (Patribus etiam familiarem) propter abſolutionem, & in comparatione ac relatione ad cetera Sacramenta, à Papiſtis ſub Sacramentorum prorſus proprie dictorum numero comprehenſa; quia enim Abſolutio longe excellentius quid ceteris, quæ Baptiſmo & Sacræ Cœnæ adduntur, eſt, & aliquam etiam ὁμοίωσιν cum Baptiſmo & Cœna habet, in eo conſiſtentem, quod fidem confirmet, & promisſionem gratiæ ad ſingulos ſpecialiter applicet, prout abunde id p. 167. declaravit; igitur Apologia vocabulum Sacramenti ejusque definitionem ſic inflectere voluit, ut ad vere & proprie dicta Sacramenta Abſolutionem eveheret, & à ceteris ſpuriis ac Papiſticis longe ſegregaret. Et hunc latiorem Sacramenti ſignificatum non disſimulavit A-

pologia p. 201. 202. lin. 23. - fin. Lutherus in Libro de Captivit. Babyl. Abſolutionem dixerat Sacramentum, ſtatim tamen addidit; Si rigide loqui velimus, duo tantum ſunt Sacramenta. Conf. Chemnit. l. c. p. 371. Carpz. l. c. p. 411. ſq. Imitemur Apologiam, per inanem λογομαχίαν de Numero aut Vocabulo non contendentem, ſed ad id, quod magis neceſſarium eſt, ſalutarem ſcilicet Sacramentorum Uſum, ſtrenue pergentem, pag. 203. lin. 1. 2. 12. - 30.

§. 27. Dub. XXVII. Apol. verbis: Miniſtri Eccleſiæ non habent mandatum cognoſcendi occulta peccata. p. 181. videtur paginæ 330. f. contradicere) ℞. Scopus pag. 181. lin. 20-25. eſt Elenchus, Papææ conſcientiarum per tyrannicam illam quoad omnes poſſibiles numeros & circumſtantias confitendorum peccatorum extorſionem ac cognitionem, excruciationi & carnificinæ oppoſitus, cujus ſenſum ipſa Apol. ſatis perſpicue exponit; ſic idem ſcopus obtinet p. 330. lin. 30. 31. Papiſtæ enim duntaxat enormium ac manifeſtorum peccatorum rationem habent, ſubtilia vero & occulta non admodum curant; huc reſpicit Lutherus, ac monet: miniſtrum Eccleſiæ, quando remittit peccata, etiam abſcondita remittere, & quando retinet, ipſum peccatum originis ejusque primos motus una quoque retineri. conf. Carpz. Iſag. p. 868. Ligant ergo & ſolvunt abſcondita, quæ tamen cognitione particulari non cognoſcunt; nec Abſolutio

talem

talem talium peccatorum cognitionem depoſcit, ſupponit aut includit.

§. 28. Dub. XXIIX. Apol. p. 181. 182. Papæos contra conſcientiam ac præter meritum exſibilat, ut qui tantum parabolice, & à minori ad majus arguunt ex Prov. 27, 23. ferme uti Paulus 1. Cor. 9, 9. 10.) ℞. Meruiſſent ſane ſua iſta mirifica Script. dictorum in quaslibet ſententias metamorphoſi acrem cenſuram, qua luſorius ipſorum Scripturas interpretandi modus & fucus, quem imperitis Scripturas citando faciebant (quaſi hæc illorum res habeat autoritatem ex Scripturis conf. p. 185. lin. 23. 24.) in ſua miſera nuditate orbi Chriſtiano manifeſtaretur. Sed ab Apol. id adeo acerbe factum non videmus, & ſi feciſſet, ſui ac illius defenſionem ipſe Melanchthon ſuppeditaret p. 49. pr. Et ſi adverſarii tantum per ſimilitudinem quandam ad externam ſacri gregis cognoſcendi curam & neceſſitatem demonſtrandam argumentari voluiſſent, Apologia id nec redarguiſſet, nec ipſa demum p. 182. idem adductura fuiſſet. Inſuper niſi ſenſu ab Apol. intimato intellexiſſent, aut intelligi voluiſſent, tunc iſta dicti allegatione plane nihil egiſſent, ac controverſæ ſuæ theſeos pigmento ne minimam quidem ſpeciem addidiſſent aut obtinuiſſent. De cetero Apologia plane modeſto, nec vel à Chriſtianiſmi genio abhorrente ſtylo tantum dixit, quod res, & verum & coram Deo juſtum erat.

§. 29. Dub. XXIX. Ap. p. 183. mores diſciplinæ Eccleſiaſticæ antiquatos non eſſe revocandos

candos cenſet; quod tamen ad emendationem hominum videtur forte facturum, & ad Eccleſiæ decorem.) ℞. Apol. ſeipſam ſatis reſtringit ac explicat, nec ipſam Eccleſiaſticam, cum Evangelico tamen temperamento & moderamine conjunctam, diſciplinam abſolute improbat, utpote cujus genuinos, bonos, & ad rem Chriſtianiſmi vere facientes, nec Papiſmi fermento tinctos, fines ipſa tacite commendat p. 183. lin. 26 - 32. p. 185. lin. 11. 12. p. 197. lin. 6. atque ſic etiam clavium poteſtati non officit, ſed tantum dicit, iſtos mores, in ritu publicæ pœnitentiæ iſto modo obſervari ſolitos, jamque diu antiquatos, pag. 183. f. iſtas ſatisfactiones Canonicas, illa vetera ſatisfactionum in pœnitentia publica ſpectacula, p. 184. lin. 2. 10. 12. - 14. quæ fuerunt & ſunt diſciplina resque prorſus politica p. 185. l. 14. tanquã neceſſarium quid ad remiſſionem peccatorum aut placandũ Deum p. 183. f. 184. 185. reſtitui non eſſe neceſſarium. Et ſane Apologia, dum iſtorum, jamdum clam operanti Papatus myſterio originem debentium morum, rituum & ſpectaculorum &c. reſtitutionem ac reſtaurationem diſſuadet & rejicit, vero Chriſti Evangelio conformia ſentit.

§. 30. Dub. XXX. Apol. p. 204. Epiſcopis Pontificiis aliquid jurisdictionis Eccleſiaſticæ in Lutheranos Paſtores concedit.) ℞. Sub conditione, ſi proteſtantium Miniſtri utantur ordinatione Canonica, & ſic Pontificiis Eccleſiaſticam concedant in ſe jurisdictionem, articu-

lum 14. Aug. Conf. Cæſar & Status ceteri approbarunt; quia vero Canonicam hanc ordinationem Cæſar & Status 1.) non ad formam illam reſtringebant, prout tunc illa vigebat, & in Romana Eccleſia recepta fuerat; ſed 2) ad formam juris & juxta Eccleſiaſticas Sanctiones atque decreta ubique in Orbe Chriſtiano obſervata, prout verba ipſa aperte ſonant; Igitur 3) Proteſtantes etiam non alia ſub ratione eam admittere voluerunt, quam prout veteres Canones Vocationem ſeu vocationis modum circumſcripſerant; non 4) quod putarent, jure Divino modum hunc ita eſſe fundatum, ſed 5.) ut oſtenderent, ſe veteribus ritibus ac Ordinationibus mere Eccleſiaſticis contravenire nolle, nec Epiſcopis ad ſævitiam dare occaſionem, Unde & 6.) Epiſcopos abuſus hujus diſciplinæ, ut & ſævitiæ in eos, qui abuſui huic contradicunt, poſtulant, & quod admittere illi nollent Proteſtantium Miniſtros ad Miniſterium Verbi, niſi doctrinæ genus, in Conf. hac expreſſum, abjicerent ac damnarent; & præterea truculenter in eosdem ſæviebant, id quod non tantum experientia & exempla à D. Pappo in Art. 14. A. C. p. 231. citata teſtatum faciunt, ſed etiam ipſi Papiſtæ diffiteri non potuerunt. Ita enim Joh. Hofmeiſterus in Judicio ſuo ſuper Art. 14. A. C. apud Fabrit. in Harm. f. 255. ſeqq. *Da bonos Paſtores, inquit, & habebis oves meliores*; peccatum quidem hac in re eſt plurimum ab adverſariis, at nihilominus peccatum eſt ab Epiſcopis noſtris,

ſtris, & hactenus graviſſime peccatur, dum numerantur potius ordinandi, quam Examinandi, & quantum quis nummorum habet, tantum etiam favoris habet apud quosdam. Quæ hic premo, prudens Lector bene intelliget; nolim enim hic referre, quales Epiſcopos, Decanos, Canonicos, Paſtores &c. nobis ſubinde intrudat potius, quam ordinet Romana Curia... Synodus diſpiciet, & ut arbitror, conſulte hic aget, ne vel ſævitiæ Epiſcoporum, vel temeritati adverſariorum ullus locus pateat. Hæc Hofmeiſter. Tantum igitur 7.) abeſt, ut Proteſtantes tum temporis ordinationem Canonicam fugerint, ut ipſi Epiſcopi Papiſtarum non admittere voluerint Noſtrates, etiamſi honorem iſtum Eccleſiaſticum deferre ipſis vellent; quamvis 8.) tunc temporis declaratio hæc locum tantum habuerit, ubi perſecutiones vicinæ, & odia ab Epiſcopis metuenda erant. Hodie vero 9) Liberalitate hac ex parte Noſtri opus non eſt, quando 10.) Jurisdictio Eccleſiaſtica per Tranſactionem Paſſavienſem anno 1552. & per pacem Religioſam anno 1555. (de cujus conſtantia noviſſime hoc ipſo, quo hæc ſcribo, anno locoque ſcil. 1707. Tubingæ. S. T. Dn. Schvvederus D. & Prof. Jur. Diſſert. Inaug. edidit) Epiſcopis Papiſticis non modo fuit adempta, quam in Lutheranos ſibi habere videntur §. Damit auch, ꝛc. ubi expreſſe & publica Lege cautum fuit: Daß die geiſtliche Jurisdiction wider der Augſpurgiſchen Confeſſion, Religion, Glauben,

Beſtellung und Miniſterium, Kirchen-Gebräuchen, Ordnung, und Ceremonien, ſo ſie aufgerichtet, oder aufrichten möchten, biß zu endlicher Vergleichung nicht exerciret, gebraucht und geübet werden, und alſo die Geiſtliche Jurisdiction ruhen, eingeſtellt und ſuſpendiret ſeyn und bleiben ſoll. Quod etiam in Oſnabrugenſi Pace anno 1648. artic. 5. §. 16. repetitur: Es ſolle auch das Jus Diœceſanum, und alle geiſtliche Jurisdiction, mit aller ihrer Art wider die Augſpurgiſche Confeſſions-Verwandten biß zu des Religions-Streit Chriſtlichem Vergleich ſuſpendiret ſeyn. Sed etiam 11.) Eccleſiis, quarum Domini Territoriales immediate Imperio Romano ſubjecti ſunt, reddita ac reſtituta, ita ut in poſterum ſtatus Imperii Aug. Confeſſionis in Religione Sua, Fide ac Ritibus, Ordinationibus ac Ceremoniis, Jurisdictione ac Juribus, quiete ac pacificè agere poſſint, ita enim in Pace Religioſa §. Und darmit, conſtitutum eſt: So ſollen die Kayſerl. Majeſtät, Wir, auch Chur-Fürſten, Fürſten, ꝛc. keinen Stand des Reiches von dieſen Augſpurgiſchen Confeſſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuch, Ordnung, ꝛc. ſo ſie aufgericht oder nachmals aufrichten möchten, in ihren Fürſtenthümen, Landen und Herrſchafften dringen oder beſchweren; ſondern bey ſolcher Religion, Glauben, Kirchen-Gebrauch, Ordnungen, ꝛc. richtiglich und friedlich bleiben laſſen. Quod etiam non tantum in §. Damit auch, repetitum fuit, ſed etiam in Pace Oſnabrugenſi §. alleg. Es ſoll die geiſtliche Jurisdi-

risdiction wider die Augſpurgiſche Confeſſions-Verwandten ſuſpendiret ſeyn, und in denen Schrancken eines jeden Landes Obrigkeit das Jus Diœceſanum und geiſtliche Jurisdiction verbleiben. Ut ita 12.) Eccleſiaſticam noſtram Jurisdictionem hodie recuperatam habeamus, & 13.) Canonica iſta Ordinatio, in quam Apol. A.C. tum temporis certo modo conſenſit, hodie nos non amplius tangat. Quamvis 14.) negari non poſſit, etiam hanc Apologiæ declarationem aliquid de Liberalitate Philippi habere, quam Lutherus minime probaverat, ſicut ex Chytræo & Cœleſtino patet, qui acta Comitiorum Auguſtanorum anno 1530. quantum quidem ad religionem attinet, comportarunt. Operæ pretium videtur ex Centur. XVI. Lucæ Oſiandri p. 185. hic notare quid; quantum ad illud attinet, ſcribit Oſiander, de poteſtate & Jurisdictione Epiſcoporum, Saxones in Colloquio Auguſtano inter ſeptenos & ſeptenos aliquanto plus erant largiti, ſed nec Landgravius, nec Lunæburgici, neque Norimbergici probabant. Videtur autem Melanchthon in cauſa fuiſſe, ut Epiſcopis aliquid Jurisdictionis concederetur. Speravit enim, ſi illis Jurisdictio concederetur, fore, ut ipſi viciſſim puræ Evangelii doctrinæ minus eſſent iniqui. Sed non cogitabat Philippus, vulpem pilos mutare, non animum. Vide hæc apud Carpz. in Iſag. p. 424.-426.

§. 31. Dub. XXXI. Apol. p. 217. Joh. Wiclefo Anglo, vero contra Papæos olim anno

ſc. 1360. Veritatis teſti, nimis acerbam dicam ſcribit. Et unde certo conſtat,quod ſic furibundus: Sacerdotibus non licere proprium tenere, ſtatuerit? Annon forte craſſorum Monachorum luxuriam, faſtum & iniquam opum colluviem, &c. detegendo ac redarguendo, & ſaltem forſan in parcum, ſobrium, caſtum & moderatum, pigris autem ac voluptuoſis ventribus ingratum vivendi genus inclinando, idque duntaxat urgendo, veri impatientium iras juſte meruiſſe viſus, iſtam cavillationem, calumniam, ſuique ſenſus perverſionem ac denigrationem præmii vice retulit?) ℞. In quantum Papalem Anti-Chriſtianiſmum oppugnavit, Deo gratiæ debentur pro ipſo, tantum abeſt, ut ipſe arguatur, niſi eatenus, quatenus ſuos etiam nævos habuit ac errores. Ea enim etiam tum erat ætas ac rei humanæ conditio,ut,qui ex ſpiſſiſſimis iſtis tenebris vixdum eluctatus erat,non tamē protinus ex omni quoque errore vel etiam exceſſu (certe,ſi uspiam,in tali cauſa & rerum articulo admodum facili, ſolenni fere & carendo) emerſerit, nec pleno ſtatim lucis jubare illuſtratus potitusve fuerit. Zelus contra Sacerdotum ingluviem, philargyriam, arrogantiam & luxuriam, de qua etiam p. 2.-6. 244. 245. 277. querelæ Confeſſorum, facillime ipſum potuit in id abripere, quod erat nimium. Quo minus iſti de ſuo dominandi rigore, & conſcientiis tyrannice imperandi crudelitate remiſerant, hoc plus hic ſuo potuit inhæſiſſe ſenſui, eoque ſpecioſiorem

rem ſibi credendi occaſionem inde nanciſci. Extrema fere gignunt extrema. Ceterum id, quod & Natura & Politia & Oeconomia & Scriptura licitum ac juſtum cenſet, pro illicito obtruſum ire, dementiæ revera propius eſt, quam prudentiæ; & quidni, accedente inde Schiſmatum per p. 156. excitatione, ſi non furor, ſaltem analogum quoddam furoris genus verumque confinium? Rectiora docentem & monentem ex pervicaci αὐθαδείᾳ non audire, ſuo proprio, in abſolutam illimitatamque rei juſtos ſuos fines & cancellos habentis æque ac admittentis improbationem præcipiti, moderaminumque impatienti ac pertæſo genio tantum indulgere, præfervidam animi puto impotentiam, ac dum ſic eſt, immedicabilem cachexiam! Furere igitur, ait Apol. Wicleſum, quatenus in Sacerdotum poſſeſſiones & dominia ſimpliciter rejicienda nimis præcipiti, & nimis præpoſtereque turbulento affectu, imo nimis acerbo odio irruit, nec debita rei momenta ac receſſus effectusque conſequenter inde prognaturos ſedatiori circumſpectione perpendere voluit. Quod ab ipſo factum, tamdiu mihi perſuadeo, quamdiu fidem & candorem Apologetis denegare, aut dubium facere, religioni duco, & quousque certiora Hiſtoriæ documenta, quæ aliud evincant, deſiderantur. Et ſi forſitan mitiora de Wicleſo, viro alias ſatis æſtimato, in antiquioribus Hiſtoriæ monumentis, quoad hoc ipſi adſcriptum ἔγκλημα, veſtigia inveniantur, nondum tamen con-

contra Apol. aliquid tentari poterit, ut quæ non ſua cogitata, ſed vetera de Wiclefo narrata protulit, & quod tanquam ipſius mens allegari ſolebat, cui dein ſuum judicium de tali, ipſi tributo, ſenſu ſuperaddidit. Forſan Wicleſismus Noſtratibus objectus fuit, unde ipſis neceſſitas incubuit, ut illum periculoſum cauſæque ſuæ gravem & præjudicantem errorem à ſemet amolirentur.

§. 32. Dub. XXXII. Apol. p. 224. locum Zach. 1, 12. de Angelo creato exponit, rectius autem expoſuiſſet de Increato.) ℞. Carpz. in Iſag. p. 549. arbitratur, lin. 13. 14. p. 224. non tam categorice, quam hypothetice poſitas ac intelligendas eſſe; quaſi dicat Apologia: Stante etiam hac hypotheſi, *& ſi largiamur*, quod, uti Confutatio ap. Fabrit. fol. 318. voluit, Zach. 1., 12. Angelus creatus intelligatur, tamen noſtra Angelorum invocatio exinde nondum ſequitur; allegat Iſagoge etiam D. Klozium, qui in Tract. ſuo de Angelolatria, Diſp. 8. per totam pag. 305. & ſeqq. idonea argumenta producat, Increatum Angelum Zach. 1, 12. orantem introduci. Nec circumſtantiæ Textus Biblici aliud edocent; repugnat communior fere Noſtratium, etiam Carpzovio l. c. approbata, Expoſitio. Quod vero Apologia ex hypotheſi & ſaltem per polemicum quendam ponendi quidem, ſed nequaquam concedendi, modum Zach. 1, 12. citet, videri poſſet etiam p. 310. f. comprobare, ubi Lutherus eandem quidem rem pene iisdem ponit verbis

verbis (præſertim *τὸ & ſi* lin. pen. notandum) ſed tamen locum iſtum ex Zacharia omittit; & præterea aut Lutheri ab iſta iſtius dicti de Angelo creato explicatione diſſenſus indicium & Apologiæ correctio ſubeſt, aut neſcio, an parentheſis à Luthero p. 310. lin. 34. 35. poſita, Zacharianum Angelum, p. 224. lin. 14. 15. adductum, Apologiam defendens forſan interpretetur; vel an & Apol. l. c. & Lutherus p. 310. f. in *τῷ ſicut*, ab exemplo orationis Chriſti pro nobis, qua Angelorum Archangeli, ad conjecturalem Angelicæ pro nobis orationis poſſibilitatem illationem fecerit & collegerit, ſive colligere quodammodo illi licuerit? Quod ſi ſic, Apologia Zachariam c. 1, 12. de Chriſto etiam ipſo poſſet intellexiſſe, atque ſic nulla ſupereſſet omnino difficultas. Verum enimvero, ſi contextus & ſermo Apologiæ nimis perſpicua dicti Prophetici, ex proprio inſtinctu, ſenſu & conſenſu ſic ἀναρμόνως applicati, veſtigia & ſigna cuiquam ſuppeditare videatur, errorem tamen magni, imo alicujus ſaltem momenti, inde nondum evicerit. Donum Prophetarum epoptico-exegeticum pro gratioſa DEI Sapientia non omnibus ex æquo contingit, ſed ſucceſſiva quoque ſua habet incrementa. Vid. Dan. c. 12, 4. 9. Zach. 14, 7. Luth. præf. ad Rom. capp. 9, 10. 11. ſub fin. Nec iſtæ Hermeniæ conſcientiam Subſcribentium, alias modo vere γνησίων, obligant.

§. 33. Dub. XXXIII. Apol. p. 224. Librum

 Macca-

Maccabæorum poſteriorē SS. Scripturis annumerat. Cum tamen Lutherus dixerit: So billich es iſt, daß das erſte Buch ſolte in die Zahl der H. Schrifft genommen ſeyn, ſo billich iſt das andere herausgeworffen, ob wol etwas Gutes darinnen ſtehet.) ℞. Vocabulum Scripturæ latius & in ſenſu Eccleſiaſtico accipit, prout ſcil. & Canonicos & Apocryphos Libros ſub ſe complectitur. Et ſi probe attendas, Apologiam quodammodo ita loqui cernes, quaſi dicat, in Scripturis nullum teſtimonium de mortuis orantibus extat; nam quod illud ab adverſariis adductum concernit, præter ſomnium nihil eſt, quod uti certam tutamque teſtandi vim non habet, ita etiam non ex divinis Scripturis *θεοπνεύστων*, ſed tantummodo ex humanis Maccabæorum Libris excerptum eſt.

§. 34. Dub. XXXIV. Apol. p. 236. 237. nimium abblanditur Imperatori Carolo, & occaſione ſic poſcente ſimulationem diſſimulavit.) ℞. Benignitatem Caroli norant & compererant, unde cauſæ ſuæ Juſtitiam Ipſi pia quadam animi confidentia commendant. Carolinam Pietatem, Lenitatem & candorem nec Hiſtoriæ ſilent aut ignorant. Vetus vaticinium probabili tantum conjectura (apparet, ait lin. 29. 30.) ad congruos Imperatoris mores applicant. Et res, quam l.c. defendebant, & Caroli animus, quem facto expreſſerat, & vaticinium ipſum, quoad id, quo tendebat, Melanchthonem &c. ob commodam ubique harmoniam ad ejusmodi applicationem adeo

invi-

invitavit, ut tantum non adegerit. Non blandiuntur, ſed modeſta quadam integritate, quid ſibi de Carolo videatur, exprimunt. Veſtigia & τεκμήρια venerationis comi, *benigno, ad cauſam religionis & rem ipſam audiendam placide attento, clementiſſimoque Cæſari* à Noſtratibus exhibitæ, per Apol. & A. C. & Art. Smalc. propemodum regnant. v. p. 5.- 8. 19. 20. 46. 47. 49. 60. 105. 161. 220. 236. 237. 316. Confeſſores Carolum quodammodo cum Epiſcopis componunt, ut horum vitia Ipſius virtute tanto conſpectiora manifeſtarentur. Sic p. 316. *Cæſar* vocatur *benignus, placidus*, promptus ac *benevolus cauſæ judicandæ auditor*, & voluntatis ſuæ, i. e. *clementiſſimi edicti promulgator*, ſed *Papa*, ſi non *diabolus*, tamen *diaboli apoſtolus, homo qui nihil audire velit, ſed ſimpliciter in-* (i. e.) non *dicta cauſa damnare, occidere, & ad idololatriam vi cogere, à Domino tanquam Satanas increpandus.* En contraria juxta ſe &c. Certe Politicos ſemper experiebantur æquiores ac mitiores, quam Epiſcopos, v. p. 143. 187. 221. *Propria horum* p. 316. pr. percenſentur: ſc. *mentiri, & occidere, animas & corpora in æternum perdere.* Immanis ergo Pontificiorum Epiſcoporum ſævitia Noſtrates ad exorandam Cæſaris clementiam compulit, non hypocriticum & mendax placendi aut os oblinendi ſtudium. Quid juſtius, quam Chriſtianos Imperii Cives de ſuo, & quidem Bono, imo Optimo, ut p. 220. audit, Imperatore reverenter ſentire & loqui? Atque ſic paginæ 236, 237. &c. non minus rei ipſius Veritatem,

quam

quam etiam bonam Confeſſorum ſpem conteſtantur, non autem anomaliam quandam vel animi vel ſcopi incruſtant. Æquus modo Lector accedat ac interpres.

§. 35. Dub. XXXV. Videntur pagg. 243. 248. ſibi in adjecto contradicere, dum cor mariti, veluti Patriarcharum, qui polygami fuerunt, mundius eſſe poſſe aſſerunt, quam virginum etiam vere continentium; qui enim vere continet, is nec immunditie interna uritur, nec externam committit; ſicque etiam caſtiſſimum maritum antecellit, ut qui internæ uſtionis medicina & reſtinctione & indiget & fruitur. Ἀντιλογίας ſpecies fiet manifeſtior, ſi conferas p. 240. lin. 2. 24. p. 247. lin. 26.) ℞. Apologiæ conſcriptores opponunt ſe Pontificiorum de Conjugio opinioni, imo cavillationi, quaſi non eſſet mundus in ſeſe ſtatus, ſed prava dominans concupiſcentia. p. 241. lin. 18. 19. p. 245. lin. 3 - 5. cœlibatus autem contra. *Mundities cordis* Apologiæ *eſt mortificata concupiſcentia*, p. 243. l. 2. 3. *nec ardere cupiditatibus* p. 248. lin. 21. *Vere* autem continere, eidem eſt tantundem, ac *non ſimulate*, p. 247. lin. 20. 25. ut & non modo ab externa cum alio ſexu commixtione abſtinere, ſed nec per polluentem mollitiem, aut *monſtroſas & flagitioſas libidines*, (*quibus ſæpe flagrent*, *qui Curios ſimulent & Bacchanalia vivant*,) ſe corpusque ſuum commaculare; v. p. 236. l. 12. 23. - - - 27. Flamma tamen intus urens veram continentiam non tollit aut perimit, ſed tantum afficit,

cit, impedit, vellicat, ac in pugna exercet; unde dubium modo recenſitum veræ continentiæ nimium tribuit, dum plenam etiam & jugem libertatem ei ab internis uſtionibus arrogat, ſi quidem ſenſu, quo Apologia de vera Continentia loquitur, rem, ut fas eſt, capias. Atque ſic fieri poteſt utique, ut cor vere, & non ſimulate (ſicuti modo dictum, & ex oppoſitione ad praxin & mores illorum, continentiam ſimulantium Sardanapalorum, intelligi poteſt ac debet) continentis, concupiſcentia tamen, intus urente, plus inquinetur, quam ut fidelis & pius in uſu conjugali ſe contaminet. Quod ſi vero videatur tibi, Apologiam ll. cc. in vera continentia coincludere etiam munditiem cordis, adverſus impuras uſtiones fideliter luctantis, & non duntaxat abſtinentiam ab externo facto & prodigioſa libidine, præſertim, quia continentiam cum Non-uſtione, & Non-continentiam cum Uſtione p. 239. l. 23.-25. & veram continentiam cum munda continentia p. 240. l. 23. 24. convertere videtur, non valde refragabor aut litigabo; quandoquidem etiam ne hactenus quidem falſum dixerit eadem; ſunt enim gradus etiam veræ munditiei, continentiæ & Non-uſtionis, uti etiam contrariorum; & tamen profundior concupiſcentiæ mortificatio, graviorque adverſus impuritatis fomitem pugna & zelus, adeoque major coram divino æſtimio munditiescoonjugi, quam alias vere continenti, ineſſe poteſt. *Naturalis* autem *appetitus* (*qui*

in

in integra natura futurus erat, & ϛοργὴ φυσικὴ vocatur, vereque eſt ordinatio divina ſexus ad ſexum) ab inflammante concupiſcentia debito intervallo ac modo *diſcernendus* eſt; non iſte in ſe, verùm hæc impurum reddit; hæc peccatum, non ille. p. 237. lin. penult. & ult. p. 238. pr. p. 239. lin. 2. 4. 5. 6. - 12. & l. 27. 28. Interna concupiſcentiæ incendia maculant, quorum diſparitas diſparem quoque in conjuge æque ac cælibe munditiem parit ac operatur. Sermo & ſenſus Apologiæ tantum eſt comparativus, cum reſpectu rei ipſius, tum reſpectu perſonarum. Quo magis mortificatur concupiſcentia, & quo minus cor cupiditatibus ardet, hoc etiam major eſt & cenſetur ſive conjugis ſive cælibis mundities. Quoad majorem intus inflammantium incendiorum extinctionem, minoremque cupiditatum ardorem inter ſe comparantur, qui vivunt vel conjuges vel cælibes. p. 243. l. 2. 3. p. 248. l. 21. Sepoſito comparationis ſcopo, ſuos uterque ſatis patitur manes, defectusque, pravitates, & anomalias perſentiſcit & conjux & cælebs. Non externa præciſe ſors, ſtatus aut actio, ſed interna animi conditio reſpicitur. In ſe conjugium & cælibatus ex æquo de munditie participant, nec hic per ſe mundior illo. p. 248. lin. 14. - 16. *Sancti* ergo, h. e. *vere credentes* ac pii, quos *nec conſuetudo cum conjuge prohibet, ne orent.* per p. 141. lin. 30. 31. *in quibus conjugium eſt mundum, quia in illis ſanctificatur per verbum Dei*, certamque & plerophoricam in conſcientia ipſorum de divina approbatione convictionem,

nem, *ut & per or tionem, h. e. per fidem, qua illo tanquam dono Dei* (τὸ Tanquam, uti etiam τὸ geminum ὡς eodem ſenſu prorſus in eadem materia à Spiritu Sancto, 1. Petr. 3, 7. admodum emphatice uſurpatum, humilem ſollicitamque quandam venerationem, σωφροσύνην & ſanctum, p. 242. l. 9. caſtigatum, cumque magna & cauta διακρίσει conjunctum, conjugii uſum infert, innuit ac poſcit) *cum gratiarum actione utitur*, v. p. 241. lin. 33.-35. p. 242. l. 4.-7. & l. 34. 35. & qui, tanquam *Sancti & boni in externo uſu conſcientioſe & practice ſciunt, quatenus conducat moderari uſum conjugalem?* qui & hoc *ſciunt, quod Paulus jubet, vaſa nempe poſſidere in Sanctificatione, non in ἀτιμίᾳ & πλεονεξίᾳ* 1. Theſſ. 4. item & hoc *ſciunt, quod interdum ſecedendum, ut vacent orationi*, 1. Cor. 7, 5. per p. 248. lin. 24.-26. p. 244. l. 15. 19.-21. *& qui* cum coram Domino cum ſerio Conſcientiæ ſtudio *publicis miniſteriis ſancte occupati ſunt, quæ quidem ſæpe tantum faciunt negotii bonis viris, ut omnes domeſticas cogitationes animis excutiant.* per p. 244. lin. 16.-18. *qui voluntatem Dei*, qua *DEus vult, nos pie uti Bonis ſuis*, etiam in ipſo legitimæ debitæque εὐνοίας uſu inter fere continua humilium caſtarumque precum ſuſpiria, attente, devote & pudice, in conſpectu ſuæ, ſi unquam, etiam quam maxime tum temporis certe, ante Deum ſanctum & coram Sanctis Ejus Angelis collocandæ, conſcientiæ omni fidei lucta ſemper habere annituntur, & quam enixiſſime in ſpiritu

mentis

mentis ſuæ contendunt. v. p. 245. lin. 10, 13. qui *temperantiam & continentiam*, tanquam *exercitia & caſtigationes corporis* (*ne caro*, *ſaturitas*, *aut deſidia exſtimulet ac pertrahat ad peccandum*, *& ut corpus habeant obnoxium*, *ac idoneum ad res ſpirituales*, *& ad faciendum officium juxta vocationem ſuam*. p. 31. lin. 13.)- 16. 26. 27. p. 197. l. 18. 19. & quia ex Chriſti verbo norunt, eſſe *genus dæmoniorum*, *quod non ejiciatur*, *niſi jejunio & oratione*. Luc. 21, 34. p. 31. l. 21. 22.) etiam ſibi eſſe neceſſarias, credunt ac experiuntur. p. 235. l. 15, 17. Hi tales, inquam, quos hactenus determinavi, Sancti ita ſane etiam in conjugio pia fidei circumſpectione, filiali fidei tremore ac pavore, humilitate, pudicitia, moderatione, & orationis devotione undecunque ſeipſos communiunt, ut cor ipſorum, (non promiſcue quorumvis conjugum) majori munditie potiri poſſe, minorique cupiditatum ardore uri, quam multorum, etiam vere (dicto ſenſu) continentium, negandum aut dubitandum eſſe, non cenſeam. Veram cælibatus continentiam, & in Deo caſtum deinceps quoque conjugium expertus, optimam hic noverit Criſin. Polygamis Apologia cor præ continentibus mundum conceſſit, non omnibus, ſed Patriarchis; quorum polygamiæ (intimante quid ejusmodi in uno exemplo Gal. 4, 22.-31.) ſublimiora ſubfuiſſe & acceſſiſſe auguror, quam ut eam ex immunditia quadam profectam eſſe, aut munditiei cordis offeciſſe, nec dicere, nec conjicere auſerim.

§. 36.

§. 36. Dub. XXXVI. Apol. p. 269. locum Joh. 6, 35. ex Ambroſio de Sacramentali cœnæ Uſu exponit. Refragantur Noſtrates.) ℞. Ambroſii dictum ſpiritualem cœnæ eſum, paracleticumque in ipſa ipſius Sacramentalis cœnæ fruitione ſimul etiam oblatum ac obtinendum uſum & fructum, Apologiæ ſcopo admodum convenienter docet; unde Noſtratium exegeſi nihil quicquam obſtat; ſpiritualem enim Sacræ Cœnæ uſum, de quo Joh. 6. (etſi aliàs Patres fere ut plurimum caput iſtud de Sacramento cœnæ intelligant, adeoque Ambroſius itidem) in ipſo Sacramenti uſu quoque quærendum urgent, nec illum ab hoc ſeparant, ſed tantum ſecernunt, non, ne adſit, verum quia crebro abeſt; unitos tamen ambos in pie communicaturis exigunt, docent. Suggerit quoque Form. Conc. p. 743. f. conciliandi modum, quando ait: de ſpirituali carnis Chriſti manducatione caput 6. Joh. agere præcipue; (ut quod vocabulum cum immediate præcedentibus: *de qua*; non autem cum ſubſequentibus: *capite ſexto;* connecti puto) ideoque etiam ad Sacramentalem corporis Chriſti manducationem allegari poteſt, ſed non niſi in quantum hæc illam ſibi vere & arcte unitam habet, extra hunc vero reſpectum nullatenus, id quod nec Apologia nec Ambroſii dictum p. 269. pr. fecit. Non enim dicitur, quod Ambroſii verba Sacramentum ipſum & Sacramentalem manducationem deſcribant, ſed id tantum dicuntur teſtari, quid IN Sacramento, &

in ſalutari Sacramenti uſu offeratur & confera-tur, nimirum remiſſio peccatorum, & quod fide accipienda ſit. p. 269. l. 3. 4. Salutarem ve-ro Sacramenti uſum uſus ſpiritualis aut facit, aut magnam partem certoque ſuo ſenſu ipſe eſt, ſiquidem ſpiritualis & ſalutaris Sacramen-ti uſus ſe mutuo plane im- & per- meant, niſi quod hic arctius fere, præciſius & propius ad Sacramentalem externamque etiam manduca-tionem communi loquendi modo ſe referat ac reſpiciat; Sacramentalis enim cœnæ uſus eate-nus demum ſalutaris audit, quatenus ſpiritua-lem ſibi junctum habet. Fidelis meritorum pro me mortui Chriſti applicatio conſtituit ſpi-ritualem corporis & ſanguinis ejus, pro me in crucem acti & effuſi, manducationem & bibi-tionem; dum hæc extra & citra elementaria vehicula in animo meo devoto geruntur, me-re ſpiritualis eſt mea communionis Chriſti frui-tio; accedente vero panis vinique legitime be-nedicti elemento, eadem tranſit in Sacramen-talem ſalutarem cœnam. Spiritualis commu-nio ſemper ſalutaris; Sacramentalis non ſem-per, quando ſcil. citra ſpiritualem; ſalutaris non ſemper mere ſpiritualis, quia per & cum elemento fit Sacramentalis. Beatus, in quo ſuus Sacramento genuinus conſtat ac ineſt u-ſus!

§. 37. Dub. XXXVII. Apol. p. 271. Nomen *Miſſæ* & ex Hebræo Scripturæ Textu, & ex i-pſius rei convenientia demonſtratũ it. Annon repugnat Linguæ ac Hiſtoriæ?] ℟. Apologia veram

veram Miſſæ etymologiam, utpote omnibus iis, quos non tenet rixoſum partium aut theſeos utcunque tuendæ ſtudium, ſatis ſuperque notam, non adduxit. Quis enim neſcit, eſſe nomen antiquiſſimum & Latinum, à dimiſſione (cum catechumenorum ante, tum omnium fidelium poſt Cœnæ adminiſtrationem) petitum. Derivationem iſtam à מִסַּת Devt. 16, 10. quam Apologia addit, intelligere debemus tantum ob majorem ſpeciem ac ſimilitudinem non abſolute, ſed hypothetice, ſecundum quid & *κατ' ἄνθρωπον* poſitam; quaſi diceret, uti etiam expreſſe dicit: Si omnino cum Aug. Conf. Confutatoribus vocabulum Miſſæ ex Codice Sacro & Ebræa lingua ſatis ridicule & ludicre venandum eſt, non tam procul (à מנחה) id debebat exquiri, cum quoad ſonum æque ac aliqualem, quæ ſpecioſe allegari poteſt, rei convenientiam longe probabilius & longe propius vocabulum legatur Devt. 16. p. 271. lin. 12. 14. Hoc ſi Confutatores ſciviſſent aut meminiſſent, ſcientiam Ebrææ linguæ ſpecioſius & melius oſtentare potuiſſent; aliqualis illa rei cum nomine convenientia ex Vet. Teſt. & ex more, ſub initium N. T. à Chriſtianis etiam retento, p. 271. lin. 17. -- 23. ſubjungitur. Uſurpatio vocis Miſſa lin. 23. non reſpicit Miſſam Pontificiam, de qua h. l. quoad nominis originem controvertitur, ſed ad illam in Ebræo Devt. 16, 10. occurrentem vocem מִסַּת alludit tantum, ſicut lin. 15. tacite-

que exprobrat ac objicit confutatoribus, quod & nomen & rem in propiori quadam in ſpeciem analogia ſeu ſimilitudine inibi reperire potuiſſent; nec Apol. vult dicere, quod Chriſtiani retinuerint una cum collationibus ſeu more, munera & Symbola ſua conferendi, etiam nomen Miſſa; neque enim ullo modo probabile eſt, Chriſtianos tum temporis, plerumque Græcos, ipſum iſtud nomen, quo populi in Vet. Teſt. munera juxta Judaicum labium exprimebantur, ad ſuum morem applicatum retinuiſſe, ut quod in gravioribus negotiis & caſibus non fecerunt, nec Hiſtoriæ ſic uſurpati Miſſæ nominis inter Chriſtianos mentionem faciunt; nomine συμβολῶν, Lat. collationum, uſi ſunt, non מַס־, ſi de ſono vocis Hebræo rem capias; τὸ מִסָּה autem vel miſſa Apologetæ lin. 23. tanquam de ſuo ſuamque alluſionem addiderunt, tanquam vocem cum collationibus Devt. 16, 10. eandem, idemque ſignificantem; Hinc etiam vox Miſſa p. 271. l. 23. parentheſi cuidam commode includi, Hebræisque literis exprimi poſſet, olimve ſtatim potuiſſet. Et ſic toto illo diſcurſu tantum in gratiam Confutatorum, & ut quodammodo ipſos in derivanda ex Hebræo voce Miſſa adjuvarent, ex abundanti quadam polemicis quandoque uſitata liberalitate, & qualicunque, ex prudenti ab Apol. ſibi præfixo ſcopo facta, adverſæ ſententiæ incruſtatione, defuncti ſunt Confeſſores, ut tanto fortius Vanitatem

tem ejusmodi derivationis evincerent, quod patet ex concluſione, quam tandem addiderunt lin. 26. ita; *Sed omittamus has nugas.!* Si derivationem vocis Miſſa ex Deut. 16. ſanam & legitimam cenſuiſſent, aut tanquam ſuam allegaſſent, jam certe nugis non fuiſſent annumeraturi. Stylum quoque & ſenſum eſſe hypotheticum, & ad hominem ſaltem directum, intimat lin. 28. vox *Etiamſi.* Et ſic Apologia vocem Miſſa, qua & quomodo Pontificii utuntur, nec ex Hebræo derivat, nec cum iis, qui id tentant, facit; imo ſuos adverſarios quodammodo eludit, p. 271. l. 8. ridiculum. lin. 13. &c. volebant. l. 27. ridiculum; quod Miſſæ etymologiam auſu adeo miſero, vano & inani ex qualicunque nonnullarum truncatæ vocis literarum ſono captatum erutumque ire haud erubuerint; nec aliud quid ipſis in Scriptura de ipſorum Miſſa obvium concedit, quam merum nomen, quatenus id duntaxat in ſuo literarum grammatico ſono, M. i. s. s. a. ſcil. conſideratur & effertur; cui tamen immediate ſubjicit, nihil veri commercii illi ibi obviæ voci cum Papæa Miſſa intercedere, quandoquidem מִסַּת non ſignificet oblationem Sacerdotis, ſed collata populi munera l. 16. & ſe, etiam dum in ficta Etymologiæ inventione Confutatoribus ſuppetias ferendi vultum præ ſe fert, probabilem ſaltem protuliſſe conjecturam, intimat l. 24. per τὸ apparet. l. 25. niſi quis. (ubi in neutro pedem figit.) l.

28. adeo leves conjecturas. Finit denique, etſi Miſſa (Papæa) diceretur מסה, tamen illa Papæorum ſomnia pravasque opiniones circa Sacrificium Miſſæ nihil inde lucrari.

§. 38. Dub. XXXIIX. In Apol. p. 274. & art. Smalcald. p. 308. oratio pro mortuis, tanquam non inutilis, approbatur.) ℞. Apologiæ Conſcriptores ſic loquuntur: *Orationem pro mortuis nos non prohibemus.* p. 274. lin. 21. 22. *Aerio nos non patrocinamur, qui, per Epiphanii Teſtimonium, ſenſit, quod orationes pro mortuis ſint inutiles.* p. 275. l. 3-5. ad quæ D. Carpz. in Iſag. p. 680. 681. "hoc annotat: 1.) In primitiva Eccleſia ex libera Eccleſiæ ſeu conſuetudine ſeu ordinatione apud S. Cœnæ communionem, pie defunctorum memoratio facta, illique gratulationes, hortationes & optationes fuerunt additæ; & hoc 2.) appellatum quidem fuit aliquando pro mortuis oblatio, minime vero realis quædam intellecta fuit, ſed verbalis tantum omnium fidelium præſentium. 3.) Finis hujus oblationis non fuit Satisfactio, nec per modum meriti aut ſatisfactionis ita pro mortuis obtulerunt, aut orarunt, ſed ſicuti metaphorica ſaltem oblatio erat, & nihil ſatisfactionis habebat; ita etiam hæ preces minime eum in finem fuerunt fuſæ, ut à pœna reſidua liberarentur mortui, & pro illis præſtaretur ſatisfactio; ſed ut illis, qui piam vitam egerant, debitas laudes canerent, ex commendatione ipſorum virtutis ac pietatis

ad

ad ſanctæ æmulationis ſtudium vivos com- " pellerent, ſimulque accelerationem patefa- " ctionis filiorum Dei, & adventus regni gloriæ" à Deo flagitarent. 4.) Hanc oblationem A- " pologia propter antiquitatem α) non ne- " gat, β) minime vero ſuadet γ) nec mandat" eam, (δ) ſaltem non prohibet, ε) nec inuti- " lem putat.) ς.) Apol. nullibi concedit, ob- " lationum harum beneficio potuiſſe animas " defunctorum à pœna quadam damni aut ſen- " ſus liberari, quod quidem Hugo Grotius vo- " luit. Vid. autores ap. Carpz. citatos. Quibus adde LutheriTom.7.Witt.f.6.b. Tom.6.W.f.147. b. &Poſtill.Eccl. Dom. I.poſt. Trin. & D.Hildebrandi Diſcusſionem Hæreſeωn Aerii, quasProteſtantibus Pontificii impingunt,quæ Helmſtadii An.1656. prodiit, à §. 19 - 29. qui ſic cenſet: *Preces pro defunctis tales ſunt, ob quas nemini per ſe ac ſimpliciter loquendo hæreſeωs nota inuri poteſt, cum de his in tota S. Canonica Scriptura, præſertim Novi T. unde Chriſtiana fides vel maxime æſtimanda eſt, nec vola nec veſtigium exſtet.* §.19. item: *Nos, tacente Scriptura Sacra, definire non audemus, quis præciſe ſit uſus precum pro defunctis, eo tamen ipſo cum Aerio nondum inutiles, nedum illicitas pronunciamus. --- Multi e noſtris ad mitigandum diſcuſſionis judicium alii, piè defunctis in Beatitudinis ſuæ inchoatæ augmentum prodeſſe preces iſtas, conjectant. Laudem certe vel hoc uno (cæteris paribus) merentur, quod mutua inter vivos & defunctos charitatis ſymbola exiſtant.* §.20. item: *Priſci in precibus ſuis ſola defunctorum nomina ex diptychis h. e. tabulis Eccleſiaſticis recitabant, iisque placidam & mollem*

requiem, requiem perfectam, refrigerium, locum lucis & pacis, miſericordiam in decretorio illo die, gloriam auctiorem, reſurrectionem ad vitam & ſimilia pio affectu comprecabantur. § 24. item: *Nemo noſtrum, cum Aerio, orantes pro defunctis damnet, modo in formulis & terminis antiqua Eccleſia hi, qui orant, ſeſe contineant: Nemo preces pro defunctis ſub neceſſitate ſalutis exigat, vel orare nolentes pro mortuis (quod in SS. literis non ea de re exſtet) damnatis ab Eccleſia hæreticis connumeret. Inter hac extrema mediam teneamus viam.* §. 26. Hæc D. Hildebr. l. c. conf. Ejusd. Primit. Eccleſiæ offertorium pro defunctis, præſertim capp. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. ubi *de memoriis defunctorum in Veteri Eccleſia, de precibus pro defunctis, cur preces Veterum pro defunctis ſint commendanda, de utilitate precum pro defunctis circa vivos, damnatos & beatos, & de hodiernis Eccleſia noſtra precibus pro defunctis ex Veteri Eccleſia reſiduis agit.* Verbis Apologiæ A. C. ſupra citatis B. Calixtus in Tractat. de Sacrif. Miſſæ th. 74. ſubjungit hæc verba: *Ita quidem Apologia. Interim quid utilitatis è precibus vivorum in mortuos redundet, fatemur, explicatu admodum difficile eſſe.* Bonam quoque ac in praxi conſcientiæ tutam reſpondendi rationem ſuggerit Lutherus de hac materia p. 308. in art. Smalcald. cum ait: *conſtat etiam, de mortuis nihil nobis divinitus mandatum eſſe; idcirco tuto illud omne omitti poteſt.* l. 4. 5. item l. 13.-15. ſic: *At hoc in univerſum nihil niſi hominum, & quidem unius atque alterius devotio & ſententia fuit, non conſtituens articulum fidei, id quod ſolius Dei eſt;* & lin. 26. 27. *Ex Patrum enim verbis & factis non ſunt exſtruendi*

di fidei articuli. -- Regulam autem (v. l. 30. -- 32.) *aliam habemus, ut videlicet verbum Dei condat articulos fidei, & praeterea nemo, ne Angelus quidem.* Hæc Lutherus. Etiam in noſtris Eccleſiis oratio pro defunctis eatenus publicum habet adhuc morem & uſum, quatenus, qui pie obdormivit, pro ſuggeſtu nominatur, Deoque pro fidei ac vitæ certamine ab ipſo exantlato, gratiæ aguntur, & Deus oratur, ut placidam requiem & beatam reſurrectionem indulgeat. Quo etiam fere non perobſcura quædam veſtigia ducunt, ſpectant & collimant promiſcua vota, quando homines inter nos ingemiſcendo mortuis ſuis optare ſolent, ut Deus ipſos ſolari, & ipſorum miſereri, ipſis gratioſus propitiusque eſſe, & peccata remittere velit. Succincte totum negotium & in theſi orthodoxa explanat D. Gejer. in Diſput. de Precibus pro defunctis à §. 7 - 13. in Opuſc. Philol. p. 420 - 426.

§. 39. Dub. XXXIX. Apol. p. 283. 284. locum Ezech. 20, 25. ſiniſtre interpretatur, dum præcepta non - bona per Legem divinam exponit, quibus tamen per interlineare Lutheri Scholion idololatrica hominum doctrina, in quam Deus Iſraelitas juſto judicio tradidit, indigitatur.) ℞. Sunt, qui ad fontes confugiunt, & ſic (ut etiam Vulgata fecit) vertunt: Ergo & ego dedi eis præcepta non bona; ac Hieronymi brevem Expoſitionem ad h. l. adducunt: præcepta Dei bona vitio ſuo fecerunt non bona; quo porro allegant Chemnit. de Lege Tom. II. p. 5. & ad h. l. applicant:

Q 5 Quod

Quod Deus ibi non loquatur de Lege ſua per ſe ſpectata. Devt. 11, 26. 30. 19, 32. 46. ſeqq. Ezech. 20, 11. 13. 21. Rom. 7, 12. 14. Sed ad naturam noſtram, peccato corruptam, relata, Rom. 7, 13. 23. 2. Cor. 3, 7. Gal. 3, 10. 21. Rom. 3, 20. & ſpecialiter in reſpectu, ordine ac habitudine ſua ad immorigeros Iſraelitas, quibus utique ob diram pœnarum inflictionem noxia evaſerint Dei præcepta, utut alias in ſemet bona; & ſic τὸ Vav Ebræum per Ergo (à D. Schmidio per Quare) verſum, eſſe illationem conſequentis pœnæ ob antegreſſam culpam; Apologiam vero ſic Avthenticum Textum planiſſime ſequi, Legem autem Divinam ſenſu non abſoluto, & à natura humana abſtracto præciſoque, ſed relativo & humanæ corruptionis reſpectivo capi. conf. p. 318. f. 319. pr. in art. Smalcald. quæ quidem omnia nec audeo nec poſſum improbare. Sunt enim in ſe ſana & vera. Fateor quoque, Apologiam loqui de eo, quod ex hominis peccato Legi divinæ advenit. Totius vero capitis 20. contextus de ἐθελοθρησκείᾳ, ac hominum in efficaces errores traditione videtur agere, ac exemplum Divinæ comminationis impletæ, etiamque nobis in N. T. repetitæ 2. Theſſ. 2, 10. 12. ſuppeditare. Durum etiam cenſeo, Deum ipſum moralem ſuam Legem, h. e. ſpiritualem Eſſentiæ ſuæ, juſtæque & ſanctæ voluntatis revelationem vocare Non-bonam. Nec par mihi locus ſuccurrit, in quo Deus de Lege ſua, quatenus ſua, ſic loquatur. Quippe quam

ſanctam

ſanctam & juſtam & bonam Rom. 7, 12. & ſpiritualem v. 14. vocat. Unde Lutherum quidam hic præferunt; & nævum exegeticum corpori Apologiæ alias valde terſo & formoſo facile condonandum æſtimant. Neſcio, an utraque expoſitio (quâ 1.) Lex non in ſe, ſed in relatione ad homines ſpectatur, & quâ 2.) permiſſiva in cultus factitios ac idololatricos Judæorum extraditio intelligitur) ſibi ſubordinata conciliari poſſit hoc forſan modo: Quandoquidem & quamvis Politicum, ſeu coactivum, Pædagogicum & revelativum, occiſivum & execrativum, Epanorthoticum & Pædevticum ſeu directivum Legis meæ, quam ipſis dederam, ſcopum, vim, ἔργον & officium in ſe admittere ac experiri noluerint, imo tanquam intolerabile jugum & diſrumpenda vincula Pſal. 2, 3. Jer. 2, 20. juxta Luth. Verſion. & c. 5, 5. ferre ac pati detrectarint, nihil ego tamen illis de Lege mea remittere poteram, & necdum valeo aut volo; iterum impono & do ipſis præcepta illa (per ipſos & ut ipſis videntur) non bona; repeto, denuo fero, inculco ipſis Legem meam, ipſis utique, dum ſunt, qui qualesque ſunt, non bonam, quanquam quoad ſe nec malam, utpote malis obnitentem, mala licet augentem α) culpæ (per revelationem) β) pœnæ; (per annunciatam maledictionem.) Fero ſtatuta, ipſis non amœna nec jucunda, urgeo præcepta & judicia, in quibus veram vitam non obtinebunt, & juxta quæ etiam non volent vivere, i. e. vitæ ſuæ

mores

mores formare; ideo condemnabit, premet ac occidet ipſos adeo mea Lex, ut ſe & gratiæ nunc, & olim gloriæ vita deſtitutos ſint ſenſuri. Ah! quam vere ipſis præcepta mea tunc evadent non bona, non proficua, non ſalutaria, & tanto minus bona, quanto ipſa in ſe meliora, ipſi vero deteriores fuerint; & ut etiam nunc Legis meæ contemptum vindicem, do, daboque illis præcepta non bona &c. offeram illis occaſiones gentilium, converſatione religionem illorum non bonam, non ſalutarem imitandi; permittam ipſis, ut ſuo more vivant, ſuo genio indulgeant, gentium ritus ac idololatriam ſequantur, amplexentur! Vivant, quia volunt, vitam ſuam mortis æternæ genitricem! Conſiliis & inſtitutis ipſorum peſſimis extradam ipſos, in quibus præter ipſam meram & plenam mortem nihil prorſus reperient, ac deguſtabunt aliquando. Firmum manet, quod dixi: do & permitto ipſis præcepta non bona; non bona & mihi & ipſis! ipſis? Si mea, id eſt, divina ſunt! mihi? Si ſua & αὐθαίρετα ſunt! Do ipſis judicia, in quibus non vivent! In meis nolent, in ſuis non poterunt! Sic præcepta non bona *&* de Lege Dei, naturali hominum irregenitorum cordi applicata, *&* de idololatricis, humanitusque inventis cultibus per commodam ſui conſecutionem & ſubordinationem exponerentur. Ex præceptis enim, immorigero populo φαινομένως non bonis, in præcepta ὄντως non bona ruerunt. Sunt etiam, qui illa משפטים & חקים de pœnis ex divina

judicia-

judiciali conſtitutione ſubſecutis exponunt, de tributis & cenſibus, hoſtili manui dandis, de decretis & ſtatutis ab Ethnica gente Judaiſmo impoſitis; & juxta hanc explicationem Apologia valde hallucinata eſſet h. l. niſi potius ipſamet, utpote longius quæſita. Optima, ni fallor, & dictum Ezech. 20, 25. interpretandi, factamque dicti interpretationem ad Apol. h. l. vere etiam defendendam applicandi ratio erit, ſi per præcepta illa non bona judicia ſive decreta, veræ vitæ expertia, Leges ceremoniales V. T. intelligantur, tanquam ordinationes, deciſiones, conſtitutiones (חיקים) & ritus, mores, cenſuræ, caſtigationes, & judiciariæ diſcretiones ac politicæ (utar verbo, ſenſu tamen non præciſe juridico) ſequeſtrationes (משפטים) non bonæ, non vivificæ, id eſt, ſtylo ſacro, non optimæ, non abſolutæ conſtantisque Bonitatis & Perfectionis, virtute cor in vitam Dei veram revocandi deſtitutæ; tanquam præcepta & ſtatuta mutanda, tollenda, in indignatione quaſi quadam, & alienum opus (ut tandem etiam proprium fieri poſſet) faciendo data, ex populi, cui impuritas manifeſtanda, & hypocritica præpoſteraque πολυπραγμοσύνη ob oculos pingenda erat (ואטמא אותם & pollui eos, i. e. eos in ſua indole polluta ſibi conſpiciendos dedi quam clariſſime; reputavi, declaravi ipſos immundos, & convici) genio & vitio etiam (erant enim plures quoque cauſæ & ſcopi) ſic imponenda. Quod autem & quomodo

do Leges ceremoniales ſint ſtatuta non bona, & judicia, in quibus non vere vivitur, per modum pleni ac Θεοπνεύςȣ commentarii explicat integra ad Hebræos in tota ſua reſolutione & totius ſcripti & ſingularum in eodem partium Epiſtola; totidem autem verbis capp. 7, 8. 9. 10. Lex ceremonialis enim audit præceptum carnale, virtute & potentia indiſſolubilis vitæ deſtitutum c. 7, 16. Lex depoſita, reſciſſa, reprobata, abrogata, infirma, inutilis v. 18. & c. 10, 8. imperfecta, vique perfectiva carens. v. 19. & c. 10, 1-4. Hypodigmatica ſaltem, exemplaris, umbratilis, typica. c. 8, 5, & c. 10, 1. reprehenſibilis, accuſabilis; meliori & ſuccedanea indigens, nitens. c. 8, 7. antiquata, ſenio per internam conſtitutionem obnoxia, evanida v. 13. externe decora. c. 9, 1. parabolica, i.e. ſciagraphiæ projectio (project-Machung; gemachter project und Grund-Riß) dilatio, prorogatio, expectatio temporis deſtinati; v. 9. conſcientiæ perficiendæ & tranquillandæ invalida v. 9. & c. 10, 1-4. externis juſtificationibus, objectis & exercitiis occupata, durans & incumbens usque ad opportunum inſtaurationis & correctionis tempus v. 10. pecuino ſanguine ad carnis tantum puritatem ſanctificans, ſuoque modo à promiſcuo hominum ſtatu ſeparans ac diſtinguens v. 13. Atque ſic Apologiæ ſenſus juſtus eſſet, ageret enim utique de divina Lege, eique meritum remiſſionis peccatorum & vitæ æternæ ſcopo ſuo æque ac Prophetico congrue prorſus denegaret;

garet; hoc modo: Deus ne ſuæ quidem Legi, quæ licet ceremonialis ſit, divina tamen quoque Lex eſt, hunc honorem aut vim tribuit, quod mereatur aut conferat vitam æternam, quomodo ergo traditiones humanæ id præſtare poſſint, & quam contumelioſi in Chriſtum & Legem Dei ſunt adverſarii, qui id propriis ſuis inventionibus & ἐθελοθρησκείαις arrogare nec verentur, nec erubeſcunt? Et hæc tam Ezechielis l. c. quam Apologiæ l. c. de Lege Ceremoniali expoſitio tanto concinnior mihi videtur, quanto plura & in Scriptura & in LL. Symbolicis loca inveniuntur, quod Lex Dei in ſe ſpectata ſit vitæ datrix illis, qui in illa perfecte ambulant, adeoque Deus huic ſic in ſe ſuaque eſſentiæ ſimplicitate conſideratæ Legi honorem effectus vivifici non poteſt denegare, ut quem ipſi indidit; quod autem actu ſecundo id, quod intra ſuam naturam eſt ac poſſidet & valet, non exſerat, fit ex alieno, humano videlicet, nævo ac vitio, cujus ſolummodo in nobis hærentis defectus & corruptionis intuitu eadem, utpote ad nos relata, audit non valens vivificare, &c. quam tamen ſuam vivificandi vim in Chriſto, ſub Legem dato quoque & exiſtente Gal. 4. manifeſtavit, qui illi perfecte ſatisfaciendo vitam ex ea nobis acquiſitam fidei noſtræ donat, ac applicat. De Lege autem ceremoniali plena plane eſt Scriptura, quod etiam in ſua intrinſeca conſtitutione peccatorum remiſſionem & vitam æternam conferre non valeat, Et ſic Apologia liquide ſe habet.

§. 40.

§. 40. Dub. XL. In Apol. p. 289. locus Matth. 21. incongrue exponitur.) ℞. Videtur certe Apologia Legale dictum de Evangelica nova obedientia interpretari, & id, quod Servator tantum ad perſonam juvenis de impotentia & corruptione ſua convincendi, quin etiam ad confundendam arrogantem de ſuis moribus &c. in ipſo præſumptionem, tentandi miſeriamque internam denudandi animo dixerat, tanquam ſimpliciter dictum & poſtulatum accipere; quanquam totus ſermo etiam h. l. in Apol. ſit (ut mihi perſuaſum eſt) hypotheticus, & plus κατ' ἄνθρωπον quàm κατ' ἀλήθειαν diſputans. Namque rerum ſuarum ſibi ſategiſſe viſa eſt pag. 287. poſtquam & dum adverſariis ſuis monſtravit, poſſeſſiones eſſe verbo Dei approbatas ordinationes; & quid ipſa de facultatum deſertione, ac de Evangelica paupertate ſentiat, ſentiendumque putet; & in quonam genuina Chriſtianorum perfectio conſiſtat, & quod vocationes, quæ proprie ad certam aliquam perſonam tantum pertinent, probe ſint diſtinguendæ ab iis, quæ ad omnes: ex illarum genere fuiſſe vocationem illam juvenis illius; ex harum vero eſſe, obedire quemque vera fide ſuæ vocationi; atque ideo vocationem juvenis illius nobis non eſſe imitandam. Potiſſimum quæſtionis caput forſan huc redit: Numquid illi juveni perfectio fuiſſet futura, SI huic Chriſti vocationi crediſiſſet & obediviſſet? Quod quidem Apol. affirmat, nec ego ex claris Chriſti verbis aliud cer-

no, credo; niſi quod addam, SI iſte illud extrinſecus feciſſet, certe intus etiam omnia prius ſincera & munda fuiſſent futura, & ſane eſſe debuiſſent, vi 1. Corinth. 13, 3. ſi quidem Chriſto placere voluiſſet, aut vera coram Deo obedientiæ perfectio æſtimanda fuiſſet. Eſt inſuper conditio, quæ talem obedientiam includit, qualem Chriſtus intenderat, unde ſub iſta idem cum Apol. affirmare non reformido. Nec τὸ τέλειος ſeu perfectus aliter intelligo, quam talem animi ſenſum, quo quis ad ſcopum ſuum, tanquam quietis centrum, in omnibus quam maturrime pervenire contendit, & obtinendæ deſiderii ſui in Domino conſummationi fideliter inhiat. Perfectio, ait Apol. erat illi juveni futura &c. ſed non exprimit aut addit, quæ, qualis, quanta & quibus in rebus? Perfectionem autem partium bono ſenſu ſumptam, noſtrates ipſi docent. Ait illi, non ait, nobis; diſtinguit inter perfectionem illi à Chriſto ſic conditionate determinatam; & inter eam, quæ nobis injuncta eſt; ſc. fidelis obedientia. v. lin. ult. Ceterum vero Apol. plenam dicti exegeſin dare, ſecum non conſtituerat, prout ſæpe ſic apud illam in dictorum allegatione, brevique, quantum ſc. polemico ſuo ſcopo ſatis eſſe putabat, eorundem applicatione, obſervari poteſt ac notari debet. Legale dictum citarant adverſarii; hinc exponunt id Apologiæ autores ſuccincte, & illud ipſum in gratam, Evangelium, fidem, & generalia fidei officia docendi, occaſionem

R con-

convertunt, ut ex occaſione objectæ Legis ſive Legalis dicti limpidum fidei ac Evangelii dogma proponerent, quali cauta & prudenti methodo fere ubivis in ejusmodi paſſibus uſi ſunt, ſuisque antagoniſtis reſponderunt.

§. 41. Dub. XLI. Apol. pag. 291. dictum 1. Timoth. 5, 12, 8. fidem per Chriſtianiſmum; & græcum τις per quis & qui interpretando, hallucinari videtur.) ℞. Intellexerunt quidem nonnulli Patres verſu 12. 1. Tim. 5. per fidem, fidem officii, ſed quæ administrandis ſacris officiis fuerat data, ut fidem abnegare illis idem fuerit, & manum ad aratrum applicare, ac retroſpicere, Luc. 9, 62. implicari mundanis negotiis 2. Tim. 2, 4. mundum redamare 2. Tim. 4, 10. Alii de accepta, intus habita & obſignata, quin etiam Eccleſiæ promiſſa, & in ea præſtita Fœderis Baptiſmalis fide & fidelitate; ſed utrumque nervoſe combinavit Apologia, primam illam fidem de fide veri Chriſtianiſmi, & de fide per laſciviam petulantiamque abjecta & excuſſa accipiendo. Fideles ac piæ viduæ ſacro pauperum & ægrotorum curandorum officio ac miniſterio per modum diaconatus præficiebantur, ubi omnem bonam fidem fideique exercitia in omnibus charitatis officiis & promittere & exercere debebant, inſuper etiam ex communibus collationibus altæ vivebant; cui amoris ab Eccleſia fruendi, ſed & Eccleſiæ exhibendi Collegio ac Societati utique tum temporis (καθάπερ...) nonniſi veræ, ſolitariæ, Deo ſpe confiſæ, conti-

continuo, diurno æque ac nocturno precũ ſupplicationumque exercitio & ſtudio probe ſubactæ inſerebantur, & adſcribi debebant fœminæ; triſtibus enim caſibus & exemplis juniorum viduarum indolem ac mores Eccleſia experta erat, quod ipſæ in illud charitatis communis ac publicæ quaſi cœnobium & gymnaſium receptæ, ex eleemoſynis alitæ, carnis ſaturitate & illicio exſtimulatæ, contra Chriſtum ruendo laxatas emitterent habenas, & ex laſcivo carnis pruritu nuptias ambirent, pigreſcerent, nugaces & curioſæ domos perſtreperent, indecora loquentes; propterea additur, viduas juniores vitandas, nec in illud Eccleſiæ alumneum recipiendas; & de talibus, quæ contra Chriſtum incitatæ ſeculi genium redamant, (vel etiam plane externam Chriſtianæ religionis profeſſionem abnegant,) inquit Paulus, quod judicio jamdum intra propriam conſcientiam ſatis ſint obnoxiæ, illudque ſibi actu attraxerint, eo ipſo, quia & dum primam fidem depoſuerint ac abjecerint, & retro poſt Satanam extrorſum verſæ, ipſiusque terga ſequendo in interno & externo Chriſtianiſmi ſtatu ſubverſæ ſint, v. 15. Porrò per fidem πρώτην ſimplici intelligentia intelligo fidem illam maximam, præcipuam, principalem & primariam, (quæ omnia τὸ πρώτην explicant) ſcil. Fidem in Chriſtum Chriſtique doctrinam prius, quam ex Chriſtianorum ſymbolis ſive muneribus ali ceperant, & habitam & exſertam; cujus etiam ſolius intuitu ad fidem quaſi ſecun-

dam (ſi quidem ſic, addito tamen ſtatim bono ſenſu, loqui fas eſt) etiam in illo alumneo Eccleſiæ exhibendam, admittebantur; fides enim prodit ſe, tendit & fertur primo (πρώτως) in Chriſtum & Deum, dein (δευτέρως) etſi diverſo operationis conſiderationisque modo, in Charitatis officia Eccleſiæ & proximo præſtanda, ubi ſpecialius nanciſcitur nomen, ſcilicet fidelitatis, quæ eſt quaſi ſecundus quidam ſalvificæ (ſpecificative, non reduplicative acceptæ) fidei actus; juſtifica enim fides omnia gubernat, dirigit, vivificat, & per omnia, quæ fideles Dei qua tales faciunt, penetrat, permeat, inque variis objectis ſe ſtrenue exercet. Et ſic fides illa prima, quam laſcivæ iſtæ mulierculæ depoſuiſſe & irritam reddidiſſe dicuntur, eſſet eſſentialis illa ἐνέργεια ac vitalis operatio fidei, quatenus Chriſtum, Vitam noſtram, tenet, qua vivificamur, Gal. 2, 20. Officium autem, quo ſemet indignas reddiderant, foret ſecundaria & conſecutiva fidei ἐνέργεια, ac vitalis fidei operatio, quatenus fides per charitatem operoſa eſt Gal. 5, 6. Homo enim renatus B. O. agit ſub & ex neceſſitate interna ac phyſica, quæ per communionem naturalem ac inſeparabilem concomitantiam Fidei & operibus intercedit, cum impoſſibile ſit, fidem ſtare poſſe cum malis contra conſcientiam operibus; *aliter* enim, ait Apologia p. 291. *Paulus de fide loquitur, quam Sophiſta, Paulus non tribuit fidem his, qui habent peccatum mortale.* Dixerim ergo ad 1. Tim. 5, 12. actu ſuum

ſuum judicium ac damnationem ſecum habent, quia & quatenus in praxi depoſuerunt & contempſerunt fidem illam primam, primas ubique & per omnes totius Chriſtianæ vitæ modos tenentem; Fidem illam, quæ principaliter ac præcipue fides eſt; Fidem illam ſuam priorem ac antea poſſeſſam, quæ ſe per bona, adeoque plane alia opera exſerebat; Fidem illam priorem, quam ſubſecutum vivendi genus, morumque pravitas excuſſit, ut acclamatione opus habeant omnes & unaquæque: Memento prioris illius & boni fidei ſtatus, unde excidiſti, & muta mentem, & prima illa, priora illa opera fac, depoſuiſti primam præcipuam illam, priorem illam fidem Tuam! Intermiſiſti, dimiſiſti ac amiſiſti primam illam, priorem illam charitatem Tuam! 1. Tim. 5, 12. Apoc. 2, 4. 5. Redi! Redi! averſa & rebellis anima! Hoc ſane modo etiam fides, quæ in ſacro officio ſe monſtrare debebat, & fides, quam in baptiſmo acceperant, obſignaverant, juraverant & profeſſæ fuerant, à petulantibus illis fæmellis eo ipſo excuſſa eſt, dum fidem Chriſtianiſmi, i. e. juſti- & ſalvi-ficam, cordis purgativam, & per charitatis opera foras exeuntem, laſcivis ſuis moribus abnegabant; Atque ſic Apologiæ expoſitio, uti plenior ſic planior, aliis omnino præferenda, quas tamen ſub ſe comprehendit, ſi apte ſibi invicem ſubordinentur; per illam enim animi ac vitæ perverſitatem deſierant eſſe veræ Chriſtianæ, & ob id ipſum officio ſacro, quod fidem in actu ſuo ſecundo

monſtrandam poſcebat, nuncium miſerant, tantoque magis baptiſmi confeſſionem & fœdus ruperant. Pertranſeunt profecto iſta ſe mutuo, & aliud ex alio enaſcitur. Quod vero verſum octavum 1. Tim. 5. attinet, Apologia quidem ad eundem veriſſima notat & aſſert, ſi rem in ſe & extra contextum l. c. Paulinum ſpectes; Si autem cum συναφεία verſuum conferas, eidem nonnihil incongrua, & græco τις ad χηεα referendo adverſa; prout id D. Spenerus oſtendit. Sed & hoc leve, imo quoad rem ipſam nullum eſt parorama, nec tanti valoris, ut Apologiæ maculam inferre poſſit. Faxit Dominus JEſus Chriſtus, ut in innocentiæ ſtudio & nos & noſtros, maxime qui nobiſcum in eadem Dei domo vaſa honeſta eſſe debent, ac volunt, ita curemus, quo omnibus evadamus de jure irreprehenſibiles, Amen.

Subſect. III.

DUBIA,

Contra Smalcaldicos Articulos collecta percenſet & ſolvit.

§. 1. Dub. I. Art. Smalc. p. 307. Sui ipſius communicationem improbant, quam tamen praxis in Miniſtris ſemet communicantibus Eccleſiaſtica & probat & concedit.) ℞. Ritus, ſibi ipſi communionem exhibendi, nec ſimpliciter neceſſa-

neceſſarius nec prohibitus; Nec enim presbyter, qui cœnam aliis adminiſtrat, ſibi quoque ſemper euchariſtiam porrigere tenetur, nec id ſimpliciter neceſſarium eſt; nec ſemper Eccleſiæ mos fuit, aut Apoſtolica traditio eſt, ut Sacerdos Euchariſtiam celebrans ſeipſum quoque communicet, nec tamen cum ipſa ſubſtantia Inſtitutionis Cœnæ Dominicæ pugnat; unde non eſt illicitum, ſi Sacerdos Cœnam adminiſtrans ſeipſum una cum aliis communicet, ait Chemnit. Part. II. Exam. f. 296. Verba ergo Lutheri in Art. Smalc. l. c. non abſolute, ſed ſecundum quid tantum intelligenda, ſcil. de ejusmodi cœna, qua Miſſificus privatam cœnam inſtituit, cum nemine ſibi communem, ita ut ſolus conſecrans accipiat. Aliud igitur eſt: Sibi ipſi quoque S. Cœnam porrigere tunc, quando aliis quoque (conf. A. C. p. 26. p. 270.) porrigitur & diſpenſatur; aliud, ſibi ſolum accipere & porrigere S. Cœnam, aliis excluſis; non illud, (ut quod etiam ipſemet expreſſe videtur concedere ac innuere p. 554. lin. 28.) ſed hoc negat Lutherus h. l. ſcil. p. 307. & hodienum contra Tridentini Concil. Seſſ. XIII. Can. 9. negamus; non enim eſt vera communio cœnæ, ſi ſacrificulus in privata Miſſa privatam, cum nemine ſibi ſociatam, inſtituat cœnam. Cauſas allegat Lutherus l. c. lin. 3. 4. 6 -- 11. Hæc ad ſenſum p. 307. vindicandum, moremque, ſeipſum communicandi, in Eccleſiis noſtris non ſimpliciter improbatum, explicandum ſufficiant. Conf. Carpz. Iſag. p. 794. 795.

§. 2. Dub. II. Lutherus in Art. Smalc. p. 313. dictum Apoc. 10, 3. per prægrandem pſeudermeniam de Papa Anti-Chriſto explicat, cum tamen expreſſe, ſi non de Increato Ipſo, certe de creato Angelo ſit intelligendum.] ℞. Communior Theologorum noſtrorum expoſitio locum Apocalypticum de ipſo Filio Dei explicat; Alii tamen de Angelo Chriſti intelligunt, & cum illo, de quo Dan. 12. per omnia conferunt. Utrinque à Luthero in Art. Smalc. diſceditur. Sane verba iſta p. 313. lin 12. parenthetica ex Angelo illo Apoc. 10, 3. leonis inſtar rugiente, Typum Papæ ſignificativum nimis clare videntur facere, quod in ſummam gloriam & commendationem Pauli tum temporis Papæ &c. cederet, unde etiam non memini, novi aut legi ullum Theologum aut Chriſtianum, qui Lutherum ſecutus Angelum c. 10, 3. in Apoc. de ipſo Anti-Chriſto exponeret; omnes enim diviniora & ſublimiora ibi advertunt, quam quæ iſti iniquitatis filio convenire queant; unde multis attentis LL. Symbol. lectoribus parentheſis illa p. 313. l. 12. non exiguum injicit ſcrupulum. In ipſo Lutheri loco aliquantiſper leniendo aut explicando Noſtrates varie nonnunquam deſudant; alius alia via rem aggreſſus qualemcunque tentavit mitigationem. Ultra probabiles tamen conjecturas & benigna tantum lenimenta vix vere ſolidi quid, & quod Scripturas ab ac de Chriſto dictas ſollicite veneranti conſcientiæ firmam certitudinem conciliare poſſit, adfertur. Alius ait; Angelus p.

313.

313. à Luthero ad Papam applicatus habet ſenſum non ſecundum literam, ſed ſecundum analogiam quandam; nihil enim inſoliti eſt, quod Theologi dicta nonnulla improprie & tantum ſecundum aliquam ſimilitudinem adducant. Alius, loco Apoc. 10, 3. deſerto, (animadverſo forſan, donec locus Apoc. 10, 3. retineatur, nihil validi, quod Lutherum defenderet, reſponderi poſſe) allegationem Angeli non ad c. 10, 1 -- 3. ſed ad cap. 12, 1. applicat, ut Angelus p. 313. citatus ſit ſeptimus Tubicen, & textus Smalcald. articuli ſic ſit interpungendus, uti Angelus Apoc. 12, ſignificat; adeoque citatio capitis non tam ad prædicatum τὸ ſignificat, (bildet, anzeigt, bedeutet,) quam ad ſubjectum, ſcil. Angelus, per προσδιορισμὸν, referri debeat; quaſi dicat, uti Angelus, qui c. 12, 1. introducitur, intimat; quo etiam optimè adductum & collatum puto Lutherum quoque ipſum in præf. ad Apoc. c. 13. Dein realis, ex c. 13, 2. 4. cum Art. Smalc. h. l. parallelismus inſtituitur: *Papa rugit, ut leo*, Lutherus ait. p. 133. Habet os leonis, loquentis magna, Apoc. ait c. 13, 2, *Papa vult, ut ipſi obediatur in omnibus, quacunque vult, quacunque dicit, quacunque facit*, Lutherus ait p. 313. Vult adorari, habet Thronum, habet poteſtatem magnam, Apoc. ait c. 13, 4. ubi annotanda & conferenda gloſſa Lutheri marginalis. Et ſic quoad rem, quam Lutherus in Smalc. artic. & in præf. ad cap. 13. Apocal. & in Scholio ad v. 4. dicit, omnia conveniunt & coincidunt,

atque hic ſenſus emanaret: Rugit Papa, ut leo, & omnia nefaria molitur, uti Angelus Apoc. 12, 1. in Johannæum viſum productus, per abominationes regni Papalis Eccleſiaſtici c. 13. deſcriptas, ſignificat. Ut verum fatear, uti hæc extricatio ſcite & apte conquiſita eſt, ſic præ omnibus multiplicem favorem meretur; tanto facilius enim & potiori jure capitis allegatio mutari poteſt, quanto ſæpe typothetica &c. fides in dictorum allegationibus incertior eſſe ſolet, & quo remotior fuit Lutherus à ſtudio textus, tanquam Papæ honorificos, allegandi aut ad ipſum applicandi, & quo inconſideratius feciſſet, ſi tantam Apocalypſeos repugnantiam advertere noluiſſet; non autem noviter conficta eſt illa capitis 12. ex Apoc. citatio, ſiquidem Germanicus, Tubingæ in folio anno 1580. & in quarto anno 1595. excuſus Form. Conc. Codex p. 143. b. expreſſe c. 12. Apoc. habet; nuperæ, quæ Anno 1698. Lipſiæ in octavo Latina prodiit, Editionis itidem & margini & textui allegatio c. 12. Apoc. non autem capitis 10. inſerta cernitur, quod certe citra fidem antiquiſſimorum Codicum, aliasque graves rationes nullo modo factum fuerit! En! hoc modo productio capitis 10. eſt & nova & falſa, & ex vocabulorum (rugit ut leo) ſono tantum ſubnata & præſumpta. Per hanc reſponſionem etiam iſti ſcrupulo ſatisfit, quo conſcientiæ nimis durum apparet, id, quod de Chriſto aut Angelo bono dicitur, ad hoſtem Chriſti applicari, it. dictum nec ſecundum lite-

ram, nec ſecundum ſenſum Spiritus Sancti adduci. Ultra hanc diſcuſſionem, conjecturas ad hanc p. 313. Apoc. 10, 3. (dum hanc citationem genuinam arbitrabar) antehac mihi ſatisfacientes, ſubjungam: Lutherus de Papa loquitur non tam ut de individuo, quam ut de Monarcha Romanæ Curiæ in jugi ſucceſſione & imperio Eccleſiaſtico faſces uſurpante. Obverſabantur forſan Lutheri animo nomen, quo etiam Leo vocabatur aliquando Papa, ut & ejusdem clamoſæ ac furibundæ Bullæ; (cum Leone quippe decimo multum negotii habuit) memoriæ autem illabebatur Biblica & Apocalyptica, magni ſtrepitus & clamoris expreſſiva phraſeologia; unde verborum ſono illectus, Leonis alluſionem & formulam loquendi, qua de Leone rugitus prædicatur, adhibuit; cumque animadverteret, verba ſua ſic ſibi effluxiſſe, uti Apoc. 10, 3. leguntur: Ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ -- ὥσπερ λέων μυκᾶται. Clamavit voce magna, ſicut leo rugit, facillime fieri potuit, ut vel ipſe, vel alius quiſpiam locum ipſum inſeruerit, non tamen quaſi totam rem ad Papam applicabilem putaret; ſed tantum Pontificis κακοζηλίαν expreſſit ac innuit, quod ſcil. ipſe Anti-Chriſtus, Chriſtum Angelumve Chriſti, magna voce clamantem, & leonis inſtar rugientem, verbumque cœleſte virtute prorſus penetrante & perterrefaciente proferentem velit imitari, & quaquaverſum dominari; Diabolus enim Dei ſimia, perverſos etiam divinorum actuum æmulatores excitat. Tantummo-

tummodo igitur phraſin, externi actus convenientiam declarantem, uſurpat; quaſi dicat, Uti de Angelo Apoc. 10. intimatur, ſignificatur, quod magnum clamorem, ut leo, clamaverit; ſic etiam facit leo Eccleſiæ latro, leo nobis tyrrannice inſultans, conſcientias gravans, leo cædibus furens, i. e. Papa, ſeu Eccleſiarcha Romanus; adeoque leoninus clamor duntaxat tertium comparationis eſt, & nudus vocabulorum paralleliſmus, ac impropria phraſis accommodatio. Et quis ſcit, annon forſan ſermonis hypothetice & κατ' ἄνθρωπον directi aliquid ſubſit; forte enim Tiberini Aſſentatores Oecumenico ſuo (per ipſos) Patri axiomata Apoc. 10, 2. obvia aſſeruerunt, & per Libellum apertum, infallibilem ex ſcrinio pectoris ipſius Scripturæ explicationem, per pedem autem dextrum mari, ſiniſtrumque terræ ſuperimpoſitum, Monarchiam orbis catholicam. p. 149. & in hoc ipſo Smalcald. articulo depictam, Ei vindicatum iverunt, ut Lutherus tali modo ad veriorem aliquam de Angelo illo ad Papam applicationem faciendam, invitatus & adactus fuiſſe potuerit, quaſi dicat: Si quid cum Angelo illo commune habet, ut Angelus ille Apoc. 10. quicquam, etiam ſaltem per minimam & extrinſecam attributionem, quod Papæ conveniat, ſignificare poſſit, nihil tamen erit, quam quod rugiat, uti leo, clamitet voce ſua magna ac terribili, & quod omnia omnesque Chriſtianos pedibus ſuis velit eſſe ſubjectos, ut ei obediant in omnibus, quæcunque

cunque vult, quæcunque dicit, quæcunque facit. Quod ſi nec hoc ſatisfacere videtur, dici poteſt, Lutherum ex zelo omnia, quæ quoquo modo vehementiam ſpirabant, ad Romanenſium Tyrannum transferendi, quaſi abreptum, leoninum rugitum ad terribiles totum fere orbem pertranſeuntes ac regnantes Papæ Bullas exprimendas applicuiſſe, non vero ad cetera in textu obvia reſpexiſſe; & ſi quidem (quod ego tamen non credo) interpretamentum aliquod intimare voluit, libere fatendum puto (ſalva tamen omni, quam Theandro deberi ex conſcientiæ obligatione lubens agnoſco, veneratione ac autoritate) nonnihil hermenevticæ hallucinationis commiſſum fuiſſe, tanto tamen juſtius condonandæ, quanto Liber ipſe Apocalypſeos plurimis ejusmodi in locis impenetrabilior, & quo alienior fuit Lutherus ab ἐγγεάφῳ Chriſti honore in Papam transferendo, & quo æquiores leniendi, explicandi ac defendendi aut etiam excuſandi viæ rationesque benigno Lectoris animo monſtrari ac proponi poſſunt. Non tamen negatur, allegationem capitis 10. p. 313. lin. 12. ſatis eſſe intricatam, lèvique quodam & epenthetico ſaltem additamento toti huic crucem figenti ſcrupulo potuiſſe præveniri. Talia vero ne nimis ſemper urgerentur, aut, quaſi adeo prægrandis momenti errata eſſent, objicerentur, ut & ne nimis negarentur aut incruſtarentur, admodum optarem, & prudentis arbitrarer; illud quidem, (ſcil. ne nimio ſubinde opponantur

tædio)

tædio) quia ad ejusmodi circumſtantias, conſcientiæ, doctrinæ ac officii obligatio ſe non exporrigit; hoc vero, (ſcil. ne quæſita nimis violentia infucentur) ne pervicaciæ cujusdam aut exceſſivæ humanorum textuum coactionis & palliationis nos aut reos aut ſuſpectos, inque gravibus cauſis minoris viliorisque fidei faciamus. Peritos Theologos ac æquos Chriſtianos utrumque ſcio approbaturos. Non ſemper macroſcopio talibus in cauſis utendum! Sic, mi amice & Fautor, qui hæc legis, dudum putabam! Sic conjiciebam! Sic me juvabam! Sic ad p. 313. mihi reſpondebam, dum exemplari citationem Apoc. 10. habenti uſus eram, & ipſo formulæ: rugit ut leo! ſono inductus, eidem allegationi fidem adhibui. Sed antiquiſſima Codicum capitis 12. citatio totum negotium mihi quam liquidiſſimum & facillimum reddidit, reddet etiam alii, cui adhuc ad pag. hanc 313. forſan ſcrupulus quiſpiam inſidet ac inhæret. Atque ſic nihil omnino eſt, quod h.l. Luthero intentari queat, ſed tota res ſalva! Tota Citatio ſalva!

§. 3. Dub. III. Lutherus p. 319. pr. Legi promiſſionem & annunciationem gratiæ adſcribere videtur.) ℞. Videtur mihi, lineam 1. p. 319. non ad Legem proprie dictam, de qua ibi Lutherus, referendam eſſe, Τὸ *Primum* enim p. 318. f. tantum deſignat, tanquam nuda ordinis nota, primum Legis uſum; teſte Carpzov. Iſag. p. 845. ut ita τὸ promiſſio & annunciatio gratiæ ad Evangelium pertineat. Conf. p. 320.

320. lin. 19. 20. ſeqq. & tantum mediis accenſeatur, quibus homo etiam ad abſtinendum à peccatis commoveri ſoleat ac poſſit; ſub initia enim converſionis humanæ formido pœnæ aut ſpes præmii, conf. p. 97. 136. Apol. ad perſuadendam homini pœnitentiam & pietatem, & ad conciliandam homini peccatorum averſationem, multum conferre ſolet. Si quis tamen nihilominus putet, promiſſionem gratiæ & beneficiorum, p. 319. l. 1. 2. tanquam modum comminationi quidem utique oppoſitum, ſed quo tamen etiam Lex ipſa utatur, peccatumque prohibeat, adduci, is quidem cohærentiam textus nimis coget, gratiæ nomen nimis abuſive capiet, (etſi id effectum divinæ Benevolentiæ ſeu dona ex Benevolentia collata quandoque notare non negetur v. Carpz. Iſag. p. 204.) Si verò ſenſu quodam generaliori ad ſtylum fere Hebræum חסד, רחם, pro Benignitate ſumat, hujus ſuæ opinionis ac dubii, ſi quod hîc habet, ſolutionem in decalogi appendice habere poterit ac declarationem, utpote ubi & comminatio pœnæ & promiſſio miſericordiæ una comprehenſa exprimitur. Sic de Legalibus promiſſionibus ſe tamen debebit intelligere. v. p. 483. - - 487. Quanquam Chemnitius accurate moneat, etiam promiſſionem de præmiis operum eſſe Evangelicam, & pertinere non quidem ad Eſſentiam, ſed tamen ad Effecta & proprietates Evangelii ap. Carpz. p. 291. 956. Planiſſimum autem ad pag. 319. Artic. Smalcald. reſpon-

reſpondendi medium eſt, quod Evangelium lin. 1. à Luthero Legi ſit immediate ſubjunctum, tanquam Legis terminus, propriusque ſpiritûs in Lege ſcopus, de quo etiam ſtatim p. 320. agit; & ſic Lutherus nec promiſſionis nec gratiæ vocabulo abuſus eſt, ſed omnia recto vadunt tramite; opus enim erat, ne putaretur, peccata ſemper & penes omnes tantum metu pœnæ prohiberi, addere, quod, audita & in cor intromiſſa gratiæ beneficiorumque gratuitorum promiſſione & annunciatione, peccatores etiam à peccatis, tanquam abominandis illorum Bonorum obſtaculis, retrahantur, ad bene autem vivendi propoſitum jucunde parvulorum inſtar invitentur, adeoque ſic & comminationes & promiſſiones ſuis quæque peculiariter operandi modis ad peccatorum inhibitiones ac nauſeam imprimendam faciant. Nota bene Tò item lin. 1. p. 319. quod ſermonem per aliud, quod affert, à priori diſtinguit. Neſcio, annon parenthetica verborum incluſio omne Lectoris offendiculum forſan tollere ac eximere poſſit, ut ſic legerentur: (Item promiſſione & annunciatione gratiæ & beneficiorum.) Sed ſatis puto locum vindicatum! Alliciat nos promiſſa gratia in Chriſto, ad amandam, experiendam ac exſerendam Veritatem, quæ eſt in Eodem, ad quem vocati ſumus!

§. 4. Dub. IV. Lutherus p. 327. lin. 5 - - 7. 15. Flacianiſmum quendam redolet, ſaltem phraſis.) ℞. Ait quidem; *Univerſum & merum eſ-*

ſe peccatum quoad nos, & nihil eſſe in nobis, quod non ſit peccatum ſive reum! quid diu quærere, partiri & deſtinguere velimus? Totum in nobis eſſe merum peccatum. Sed tamen diſtinctionem peccati à natura humana non ivit ſublatum. Ipſe diſcernit inter id, cui ineſt; (ſc. nos, ſive humanam Naturam) inter nos, quatenus conſideramur quoad nos, & quatenus conſideramur quoad creatorem noſtri; inter peccati partialem inexiſtentiam (quam de homine negat) & inter totalem. Satis ſe vindicat etiam, dum peccatum per reatum exponit, qui utique in nobis univerſalis, & præter eum, donec vere convertimur & Chriſto per fidem inſerimur, nihil in nobis eſt, manet & dominatur. Non loquitur Lutherus de diſtinctione Naturæ humanæ & corruptionis ipſi inhærentis, ſed de Pontificia peccatorum in pœnitentia diſtinctione, quam otioſam & fruſtraneam eſſe oſtendit, eo quod in omnibus peccatum nos gravet, & nihil in nobis ſit, quod non ſit reum. Conf. Form. Conc. p. 576. f. 577. 639. 650. 651. 654. & Apol. Form. Conc. c. 2. p. 8. 9. 13. 18. 32. 36. 37. 59. 69. 74. 77. 78. 82. usque 91. & Carpzov. Iſag. p. 855. Uſurpavit phraſin ante & extra Flacianum iſtud certamen bono ſuo, & à ſe ſatis ibi æque ac alias explanato ſenſu, non autem ex colludente cum Manichæizantibus animo.

§. 5. Dub. V. Lutherus p. 333. Spiritus Sancti acceptionem etiam ex decalogo derivat, adeoque huic Spiritus Sancti dationem aſſerit,

quod videtur contra Scripturæ harmoniam) ℞. obſervavit idem dubium D. David Chytræus, & in Epiſt. ad D. Andreæ Anno 1579. urſit, apud Arnold. in H. E. Tom. 2. Lib. 16. c. 18. §. 9. Et videtur ſane refragari Gal. 3, 2. & ipſi Formulæ Conc. p. 720. lin. 27. Verum enim vero, non quidem dicam, ſermonem poſſe eſſe catachreſticum & antiphraſticum, ut quod nimis coactum & quæſitum eſt; ſed ſunt potiora defendendæ hujus locutionis, aut certe mitigandæ, fundamenta. Non ſequitur, Lutherus ait: Nullus Propheta Spiritum Sanctum ſine decalogo accepit! E. dicit, quod per Decalogum: Sed hoc ſaltem dicit, quod Decalogo opus ſit, qui, quia in verbo Scripturæ reperitur, E. etiam hoc ſcilicet Scripturæ verbo opus, ut is ſciatur & pernoſcatur. Exponit Lutherus ſemetipſum clare per immediatum τῦ *ſive verbo vocali* additamentum. Quis non videt, Synecdochico & tropico loquendi modo per Decalogum ab Ipſo totum Verbum externum Voluntatemque Dei revelatam ex collat. pag. 483. 486. 487. intelligi, id quod etiam ex ipſius oppoſitionis ac Elenchi, iſtius temporis Enthuſiaſmo oppoſiti, ſcopo patet. Non enim decalogi præciſe, ſed totius Scripturæ res agebatur & periclitabatur, unde Lutherus regerendo: Ne quidem Prophetam aliquem ſine decalogo Spiritum Sanctum accepiſſe, non pro decalogo, ſed pro integrâ Scripturâ proprie pugnavit & concluſit. Sic etiam p. 390. - 398. larga

vocum

vocum acceptione ſub nomine Catechiſmi & decalogi nihil aliud agit, quam ut Scripturam ipſam inculcet, commendet ac urgeat; quo præprimis faciunt p. 395. ſ. p. 481. lin. 9. 14. p. 483. ſ. p. 485. l. 9. p. 488. l. 5. 6. Lutherus revera non fuerit oblitus, ſed probe meminerit ejus effati, quod Anno 1529. in Maj. Cat. p. 503. ſ. ſcripſerat; Unde decalogum h. l. per compendium pro verbo revelato ſumſit, cujus quoad agenda Decalogus plenum ac admirabile Compendium, quin Syſtema eſt. Poſſet forſan quoque dici, per Decalogum reſpici Devteronomium, tanquam Prophetarum fontem, & quia decalogus fons, ſcopus, Summa, vis, centrum & Nervus totius Devteronomii. Et certe *Decalogus*, tanquam *perfectus*, conſummatus, & pleniſſimus Dei *ſermo*, omnium revelatarum Scripturarum ambitum tanquam in nucleo complectitur, ſi quis pia ἀγχινοία & Spiritus Sancti illuminatione intromittatur, intrinſecamque illius profunditatem inſpiciendi gratiam à Deo conſequatur. Præſtitit id admiranda prorſus & divina Lutheri Expoſitio, qua in penitiorem decalogicæ abyſſi inſpectationem ſe demiſſum fuiſſe, ſuo monſtravit exemplo. Ah! quantum inibi τὸ πλάτος καὶ μῆκος, καὶ βάθος καὶ ὕψος! Tò ſine decalogo p. 333. poteſt etiam intelligi, quaſi idem eſſet, ac ſine virtutibus inibi juſſis & operibus præceptis; quod ſcil. nemo accipiat Spiritum ſanctum, niſi Deo placentia opera amare, diſplicentia autem vitare, dete-

ſtari ac in ſe agnoſcere velit. Conf. pag. 481. 483. *Decalogus* audit p. 83. *Lex de ſpiritualibus per Verbum accendendis cordis motibus*; jam vero certe ſine hac Lege Spiritus Sanctus nemini contingit, nemo enim Spiritum S. accipit, niſi intus renovari, & ſpirituale cor ſibi inſeri ſinat; dum autem iſta intus geruntur, ipſe Spiritus Sanctus adeſt, adeo ſpiritualis Legis ſenſus Spiritum S. ſibi inſeparabiliter unitum habet, cui vera Legis vis & inſpectio in practica cordis experientia datur, eidem & Spiritus Sanctus datur, & contra. *Nova* enim *Lux fidei, & interiores, cum Lege Dei congruentes, motus non accenduntur ſine Spiritu Sancto, per* ipſiſſima tradita p. 497. Fit autem iſta interior cum Lege conformitas per ſpiritualem Legis ſenſum aperta & amœna. E. etiam hoc reſpectuSpiritus Sanctus non accipitur ſine Lege! item: Spiritus S. in illis ipſis interioribus ac ἐννόμοις motibus confertur; E. non citra Decalogum, etſi Evangelii luce illuſtratum. En! quam verum, ſine Decalogo Spiritum Sanctum à nemine accipi, i. e. cum decalogo in ſenſu Domini intellecto Spiritum Sanctum eſſe conjunctum; ubi enim ceſſat iſta decalogi experientia & guſtatio, ibi etiam ceſſat Spiritus Sancti acceptio; & hæc talis interna decalogi, qua decalogi, penetratio citra externam decalogi poſſeſſionem ac Scientiam ordinarie non eſt. Datur præterea Spiritus Sanctus aliquando ad redargutionem, elenchum, χρίσιν ac terrorem (quod quidem in ordinario converſionis

noſtræ

noſtræ proceſſu primum ſemper locum obtinet) ſiquidem etiam ſalutaris contritio Spiritus Sancti effectus eſt, quam per Legem ſeu per decalogum operatur; aliquando ad prophetiam; aliquando vero ad Sanctificationem; Pro diverſitate igitur horum Effectuum etiam diſtinctum Verbum adeſt, quo mediante Spiritus Sanctus teſtatur. Paulus ad Gal. 3, 2. & Form. Conc. p. 720. loquuntur de datione Spiritus Sancti ad Sanctificationem & in pignus Hæreditatis noſtræ; Lutherus vero p. 333. loquitur in genere de Spiritu Sancto, ad Informationem & Prophetiam dato, ubi, quid agere debuerint Elias & Eliſa, verbo Legis etiam edocti fuerunt. Lutheri Epexegeſis, qua ipſe ſua verba *ſine Decalogo* identificat, alternat, & convertit cum verbis: *Sive verbo vocali*; & Antitheſeos ſcopus, qui ferit illos, qui externum verbum (Enthuſiaſtas vocant) & forſan quoque, qui Legis uſum in Renatis (etiam Antinomi audiunt) parum aut nihil curaverunt (atque ita Scripturæ & decalogi neceſſitas allegari & confirmari debuit contra iſtos utrique præjudicantes) totam hanc rem planam reddunt ac perſpicuam. Eſſe tamen peculiarem & primo auditu ambiguum loquendi modum, negari nequit; ſed nec ad eum, (quatenus mera phraſis eſt, nec res, quæ ſubeſt, ſpectatur) conſcientia obſtringitur Tua, modo alias verbo etiam externo ſeu ἐγγράφῳ honorem vimq; ſuam non detrahas, deneges, ac de bona tua fide ſatis conſtet.

Dn. D. Pfaff. in Diſp. de Evangelio, quæ Tubingæ Anno 1705. habita eſt, §. 18. p. 11. 12. totam rem ſic concepit, ſimulque locum hunc dubiũ extricavit: *Spiritus gratiæ datur ad fidem non immediate, ſed per verbum, & quidem ſolius Evangelii Act.* 11, 15. 15, 8. -- 10. *Gal.* 3, 2. *Addi hic merentur* (pergit Idem) *LL. Symb. verba, quod rem uberius edocent*, p. 331. ſeqq. ſcil. In his, quæ vocale verbum concernunt -- ſine prædicatione Scripturarum. it. p. 333. quare in hoc -- Et nullus Propheta ſive Elias ſive Eliſæus Spiritum (*Prophetiæ* 2. Reg. 2, 15. Luc. 1, 17. Apoc. 19, 10. Syr. 48, 27.) ſine (*longe aliud eſt, per præcepta dari moralia, & aliud, non ſine decalogo accipere*) Decalogo (*nec decalogus mera complectitur præcepta moralia, ſed ſpirat Evangelium quoque in magnifico ſtatim Exordio* Exod. 20, 2. *Ego ſum Deus NB. Tuus, ſpeciatim ſcil. per gratiam fœderalem, unde decalogus h. l. ſc. p.* 333. *in Libb. Symb. ſupponitur pro omni Scriptura S.*) ſive verbo vocali (*ad Elenchum quoque.* 1. Reg. 18, 18. 21, 40. XIX, 10. XXI. 19. ſq. 2. Reg. 1, 16. III, 13. VI, 32. 2. Par. 21, 12. ſeqq. Joh. 16, 8. Syr. 48, 10.) Cui ſolidæ expoſitioni & vindicationi, quid opponi queat, pervidere nequeo.

§. 6. Dub. VI. Lutherus p. 336. Renovationem Juſtificationi immiſcet.] ℞. Non eſt Lutheri mens, doctrinam de Juſtificatione præciſe exponere, quod prolixe alibi, brevibus vero p. 304. 305. fecit; ſed conſtantiam atteſtari voluit, & quod nihil in hoc articulo conceſſurus eſſet. Conf. p. 305. 337. nec quicquam etiam

etiam concedi poſſet; deinde oſtendere voluit conjuncta quidem, ſed tamen diſtincta beneficia; concurrunt Juſtificatio & Renovatio, & ſtatim ac juſtificat Deus, etiam renovat, ſed tamen in ſeſe diſtincta ſunt. Per Juſtificationem enim, ut Lutherus h. l. id exponit, nos Sancti reputamur, per Renovationem autem inhærenter reddimur Sancti novumque cor accipimus. Juſtificatio eſt perfecta, Renovatio autem eſt imperfecta; peccatum enim, inquit, in carne nondum plane ablatum eſt & mortuum. Videtur mihi dici poſſe: Lutherum hîc plus potiſsima & maxime conſpicua fidei, in juſtificatione (ſenſu tamen tantum ſpecificativo) requiſitæ, effecta, (ſeu quid per & propter fidem p. 336. l. 1. nobis contingat, & in nobis etiam fiat) quam ipſum formalem fidei præciſe & qua juſtificæ actum fuiſſe docturum, ſcil. α) novum cor, in ſalutaris pœnitentiæ certaminibus nobis conferendum lin. 1. 2. β) imputationem meriti Chriſti l. 2. 3. γ) Sanctificationem, occidendæ carnis concupiſcentiæ ſemper incumbentem. l. 3. - 8. Certe hoc talibus circumſtantiis utitur, ut palpari queat, ipſum formam & effectum, antecedentia, conſtituentia & conſequentia Juſtificationis ſimul complecti, adeoque totum totius converſionis noſtræ & actum & ſtatum, ac omnimodum reſtaurationis noſtræ complexum monſtrare; 1.) ex parte noſtri, Fidem; 2.) ex parte Dei, remiſsionem peccatorum, &

dein quoque actualem communicationem Juſtitiæ Dei, vel dona & inhabitationem Spiritus Sancti ad Sanctificationem. Vel ſic: De in & ab eo, qui juſtificandus & juſtificatus eſt, Lutherus requirit 1.) Fidem veram; hæc cor purgat. 2.) Meritum Chriſti, ob quod Jehova pœnitentes fideles reputat juſtos, actualia vero præteritaque peccata remittit, quod autem adhuc quidem præſens eſt, ſed non regnat, id non imputat, 3.) ſtrenuum B. O. ſtudium poſt renovationem, ſeu (uti h. l. exponi debet, quia Bonis Operibus, tanquam demum ſubſequentibus, contradiſtinguitur) cordis (ex terroribus in pœnitentia incuſsis per applicatum Chriſti meritum factam) vivificationem & liberationem. Conf. p. 686. 688. Non ergo hic p. 336. Renovatio Juſtificationi immiſcetur, verum totus juſtificationem antecedentium, efficientium, concomitantium & conſequentium circumſtantiarum ambitus, circulus & neceſſaria connexio in uno ſuccincto conſpectu, & id quidem non temere aut fortuito, ſed prudenti ſtudio ad cavillationes ab adverſariis huic articulo (qui fere ſemper etiam penes nonnullos alias Bonos citra omne ſuum proprium meritū aut concurſum ſudes, μορμολυκεῖον & offenſionis lapis eſſe ſolet, debet, tantum ex ſiniſtra de illo idea; cui tamen articulo mortis agones omnia cedunt in ſolidum; adeo ſe Veritas ipſam defendit!) crebro illatas & aſperſas fortiter retundendas & in ruborem dandas; Anne forſan tandem ſemel com-

comprehenſuri ſint, Evangelicam doctrinam non docere talem Juſtificationem, quæ vel antecedanea pœnitentia, vel ſubſequente Sanctimoniæ ſtudio deſtituatur, tantumque abeſſe, ut fidem juſtificam vita vacuam credere poſsint. Atque ſic plenior negotii Tractatio, ejusdemque neceſſarius ſcopus Lutherum hic ſatis ſuperque ex vero defendunt. Conf. Carpzov. Iſag. p. 877.

§. 7. Dub. VII. Reſtrictiva Articul. Smalc. & exceptiva Subſcriptio Melanchthoni in magni momenti negotio p. 338. permiſſa eſt) ℞. Reſtrictio illa: De Pontifice &c. 1.) non ſemper ſatis circumſpecto Pacis ſtudio. Sed tamen 2.) partem articulorum contrarium docentium non conſtituit. 3.) à nemine tum temporis probata fuit. 4.) impoſſibilem conditionem involvit; Si enim Evangelium admitteret, jam non eſſet Papa; unde idem eſt, ac ſi quis diceret. Si diabolus fieret Apoſtolus; uti Oſiander in Centur. ad hanc ſubſcriptionem & conditionem notavit. 5.) Pontifici ſuperioritatem jure humano competere concedit, quod tamen falſum. 6.) contrariatur ſibi ipſi per id, quod p. 313. f. 314. pr. traditur; Si ergo ut Chriſtianos ſuperiores articulos approbabat, quomodo hanc conditionem &c. addere poterat. 7.) à Luthero, qui initio quidem ejusdem prorſus ſententiæ fuerat, improbata. Tom. 6. Jen. Germ. f. 557. b. 8.) Humanum tantummodo Philippi conſilium eſt, quod ipſi ſpes à Pontificibus promiſſæ Emendatio-

nis in Capite & in Membris, in Doctrina & moribus expreſſit. 9.) à Melanchthone ipſo, tandem ſecus ſentiente, rejecta, v. Carpzov. l. c. p. 894. - 896. 900.

Subſect. IV.

DUBIA,

Ex Catechiſmo Minori & Majori animadverſa explanat & eximit.

§. 1. Dub. I. Lutherus p. 361. Papiſticæ ad fidem coactioni pollicem premit] ℞. Ad fidem nemo cogi debet, eo tamen omni ſtudio contendendum, ut omnis protervia ac pertinacia caſtigetur, vera ſcandala removeantur, nec inter nos ſint, qui, cives Eccleſiæ eſſe volentes, Jura tamen civitatis Chriſtianæ affectata & mere petulanti ignorantia ignorare malunt. Aliud eſt ergo ad fidem cogere, aliud eſt diſciplina externa providere, ne ruditas ac impietas radices agant indies altiores & ſuccreſcant, quod Lutherus facit h. l. & p. 363. 364. 401. & Tom. 2. Jen. Germ. §. den Chriſten gebühret. p. 476. Tom. 4. f. 385. vid. Carpz. p. 946, 349.

§. 2. Dub. II. Epilogus Orationis Dominicæ juxta uſum ſub Papiſmo vulgarem p. 376. 532. omiſſus eſt.] ℞. Epilogus, quia in Latinis Exemplaribus non legebatur, à Latinis Patribus, Cypriano, Ambroſio, Hieronymo & Auguſtino, neglectus fuit, inde nec Orationi

tioni Dominicæ, prout in uſu vulgari ſub Papatu adhuc viguit, ſive publice ſive privatim conjungebatur; ne ergo populum offenderet, aut hic putare poſſet, Lutherum quoque orationem Dominicam mutaſſe, uſurpavit orationem, prout ei ſub Papatu adſueti fuerant. Conf. Carpz. l. c. p. 1074. Explicuit Orationem Dominicam, uti Lucas recenſet, quid ergo nævi admiſit, aut inde ſibi attraxit?

§. 3. Dub. III. Lutherus p. 377. 548. circa externum Baptiſmi geſtum ipſam immerſionem inſtanter urget.) ℞. Lutherus quidem immerſionem commendavit; imo tanquam juſtam, legitimam, rectam ac debitam voci, (Baptiſmus Tauff) & myſticæ ſignificationi, ſuffocationi veteris hominis) & pleni ſigni vereque ſignantis etiam externi geſtus officio, accommode convenientem ſeu correſpondentem graviter inculcavit in Tom. I. Germ. Jen. f. 183. in Sermon. von der Tauff. Anno 1519. habito: Die Tauff heißt auf Griechiſch Baptiſmus, zu Latein Merſio, das iſt: Wenn man etwas gantz ins Waſſer tauchet, daß es über ihme zuſammen gehet, und wiewol an vielen Orten der Brauch nicht mehr iſt, die Kinder in die Tauff gar zu ſtoſſen, und zu tauchen, ſondern man ſie allein aus der Hand mit der Tauff begeuſſt; So ſolte es doch ſeyn, und wäre recht, daß man, nach laut des Wörtleins Tauffe, das Kind, oder jeglichen, der getaufft wird, gantz hinein ins Waſſer ſenckte und täuffte, und wieder herauszöge; Denn auch ohne Zweifel in

teut-

teutſcher Zungen das Wörtlein Tauffe herkomt von dem Wort Tieffe, daß man tieff ins Waſſer ſencket, was man tauffet. Das fordert auch die Bedeutung der Tauffe, denn ſie bedeutet, daß der alte Menſch und ſündliche Geburt von Fleiſch und Blut ſoll gantz erſäufft werden durch die Gnade Gottes, darum ſollte man der Bedeutung genug thun, und ein reiches vollkomenes Zeichen geben. Quicquid vero ſit de hoc, non tamen aſperſionem (cum qua apprime convenit, quod 1. Petr. 1, 2. Ebr. 10, 22. exſtat) etiam negavit. Immerſio quidem 1.) olim uſurpata; non tamen 2.) ut abſolute neceſſaria, ſed 3.) libera & indifferens, 4.) in Clinicorum Baptiſmo jam olim etiam aſperſio in uſu fuit. v. Carpz. l. c. p. 1125. 1126.

§. 4. Dub. IV. Signum crucis ſibi inſigniendum pag. 382. 383. 422. injungitur, munimentum vocatur, precatiunculæ æquiparatur ac dicitur: Si alterutro (ſigno vel precatiuncula) ſe munirent, Deo fore gratum & acceptum.) ℞ Non tribuit Lutherus huic ſignationi peculiarem aliquam vim aut virtutem; multo minus aliquam cultus divini partem ex ea fecit, ſed tantum ut probum, in ſe indifferentem, à Chriſtianis ab initio in Eccleſia ſervatum, geſtum commendat, & ut geſtum, ad hiſtoricam crucifixionis Chriſti recordationem, & ad teſtificationem &c. fidei in Chriſtum, facientem, haud alio modo, quam olim Chryſoſtomus fecit: " Sicut ſine calceamentis vel veſtimentis veſtrûm nemo in forum

rum deſcendere eligeret; ita ſine verbo hoc "
nunquam in forum prodeas, ſed cum es ja- "
nuæ veſtibula transgreſſurus, hoc prius loque- "
re verbum: Abrenuncio tibi Satana, & con- "
jungor Tibi Chriſte! Ne unquam abſque "
hac voce exeas! Hæc erit tibi baculus, hæc ar- "
matura, hæc turris inexpugnabilis. Cum "
hoc verbo & crucem in fronte imprime; Sic "
enim non tantum homo occurrens, verum "
nec ipſe diabolus te quicquam lædere pote- "
rit, cum his te cernens armis ubique apparen- "
tem. Et hæc te ipſum jam hinc doce, ut, "
cum ſignum ceperis, ſis miles paratus, & con- "
tra diabolum trophæon erigens juſtitiæ coro- "
nam capias. Hactenus Orator oris aurei! "
En! externæ crucis ſignationi juncta ſit opor- "
tet interna crucis & ſenſus Chriſti communio! "
Conf. Carpzov. p. *1115*. Et hæc ad paginas 382. 383! Quæ vero pag. 422. occurrunt, ſunt partim nuda relatio, partim hypothetica tantum comparatio. Puerorum enim illud exercitium, ut ſeſe cruce vel precatiuncula muniant, &c. refert duntaxat, in uſu permanſiſſe, una cum conſecratione menſæ &c. Nec præciſe jubet, ut iſta fiant, ſed ſaltem ait: ſi fierent. Subnectit denique comparationem illorum cum vita Monaſtica & fucata Carthuſianorum Sanctimonia, & nihil dicit, quam hæc puerorum exercitia multo fore gratiora Deo; Et quamvis in medio paginæ adeo non ſimpliciter illam puerilem ſe exercendi rationem improbet, ut potius eandem nonnihil laudet, id tamen

tamen! non aliter facit, quam quatenus primum & ſecundum præceptum aſſiduo quodam fervore in continuo verſentur exercitio, adeoque ita, ut agnitio, fides, timor & amor Dei tantummodo omne pondus habeant & conferant, per ea ipſa, quæ Lutherus, uti ubique prorſus, ita etiam hac ipſa pagina 422. inculcat.

§. 5. Dub. V. Præceptorum Dei ſervatio mox conceditur, mox negatur eſſe poſſibilis; unde pag. 482. lin. 25 - 32. 485. l. 5. -- 7. 488. l. 12 -- 24. 504. l. 3. - 10. 505. l. 4. - 8. & 581. Num. 5. ſibi invicem contradicunt.) ℞. Si diſtinguas inter Impletionem Legalem & Evangelicam; circa Evangelicam vero inter imputatam & inhærentem; perfectam & imperfectam, omnis ſpecies contradictionis evaneſcet. Per fidem in Chriſtum pro nobis mortuum ſatisfacimus Legi, ſeu implemus Legem plene, abſolute, perfecte, imputative, conſummative, & æqualiter; per Chriſtum autem fide nos inhabitantem imperfecte, ſecundum quid, inhærenter, inchoative & inæqualiter. (hoc vero ex noſtro nævo:) Utramque Lutherus (ſcil. imputatam & inhærentem) p. 488. lin. 20. 21. intelligit, (ad hunc locum confer Carpzov. p. 1022. rem diſtincte pertractantem) Paginæ 482. & 581. Antith. 5. inter ſe plane idem dicunt; oſtenſâ p. 482. hominis impotentia, lin. 25. -- 28. fidei & orationis ſubſidia (quibus præceptorum ſervandorum vim ac virtutem quæramus, precemur, indeſinenter-

neûterque accipiamus) commendantur lin. 29.-32. item p. 485. lin. 3.-9. Pagina 488. l. 20. 21. Legis impletionem perfectam per Chriſti imputationem, & imperfectam, per Chriſti inhabitationem intimat. Paginæ 504. 505. medium utramque & obtinendi & retinendi ſuppeditant. Pagina 488. &c. loquitur de Legis impletione inhærente imperfecta; Pagina 581. de inhærente perfecta. Unde Libri Symbolici ſua propria aſſerta in aliis nec rejecerunt, nec rejicere potuerunt, ut qui per totum Volumen nunquam docuerunt, quod p. 581. num. 5. & legitur & repudiatur. En! quomodo ſic illæ paginæ, prout quidem etiam totus Lutheri Catechiſmus & Catechiſmi Expoſitio, apte, perite, ac internæ externæque Chriſtiani praxi convenienter omnino cohæreant, & tam modum, quomodo, quam virtutem, Unde omnis Legis impletio quærenda, credenda, poſſidenda & conſervanda, inſinuent?

§. 6. Dub. VI. Quæ pag. 497. f. & 508. pr. & 510. poſt med. de Papatu leguntur, ut nimis acerba & univerſalia, ita Aug. Confeſſionis Art. VII. de Perpetuitate Eccleſiæ, & paginæ 142. lin. 14. p. 281. 500. 544. f. 545. pr. contraria ſunt.) ℞. Paginæ hæ citatæ adeo ſibi non vere contradicunt, ut potius ſemet mutuo explicent. Paginæ 497. 508. 510. loquuntur de potiori Numero, à quo fieri ſolet denominatio, & de communi more, ac de Papatu, ubi, quibus, & qua dominatus eſt Tyrannice; ut

&

& de veræ fidei, veri Chriſti & veri Spiritus Sancti obſcuratione, oblivione ac neglectu; item de Spiritus Sancti officio conſpicue in verbi præconio ſe tum temporis exſerere non valente; it. de horrenda Romanæ Eccleſiæ Apoſtaſia à Chriſto & Scriptura; de Diaboli fraude ac ſeductione in perverſis doctrinis, moribus & vaniſſimo opere operato, de populi cæcitate & ruditate &c. de Satanæ dominio in iſtis tenebricoſis temporibus; de ignorantia ac vilipendio verarum precum; de defectu ſenſæ vel perpenſæ internæ, æque ac externæ miſeriæ & neceſſitatis; de Anti-Chriſtiano, in iis etiam operibus, quæ externam adhuc boni ſpeciem habuerint, ſcopo ac fine; uno verbo: Lutherus ibi, quanquam graviſſimis, veriſſimis tamen, multumque infra meritum & φθορὰν illam poſitis, verbis deteſtabilem Papalis Eccleſiæ corruptionem vulgo & in univerſali quadam praxi tum temporis obtinentem, regnantem, omnia perdentem ac devaſtatam exprimit. Eccleſiæ vero perpetuitatem, SS. Patres & Martyres, infantes ac ſimplices non tangit, ut qui in integritate fuco vacua ambulabant coram Deo, gemebant, & pro metro doni ſui Veritatem teſtabantur, recipiebant & amabant; *Eccleſia* enim ſub Papatu *multas injurias pertulit* p. 235. f. *Manſit tamen ſemper apud aliquos pios cognitio Chriſti* p. 142. Gerſonem, Bernhardum, Taulerum &c. non vult annumeratos intelligi, quæ quidem ſat clara!

§. 7.

§. 7. Dub. VII. Verba p. 499. Eccleſia eſt congregatio ex mere Sanctis, Anabaptiſmo & Puritaniſmo, p. 624. 827. Num. 5. quoad rem rejecto, propinqua fere ſunt.) ℞. Loquitur Lutherus de Eccleſia formaliter & proprie ſpectata, quoad intrinſecam ſuam eſſentiam, & prout eſſe debet, quatenus eſt merum vivum corpus Chriſti, de quo Apol. p. 144.- 147. non autem, quatenus habet malos aut hypocritas admixtos, adeoque de Eccleſia omnium temporum ac locorum, ſeu inviſibili. Paginæ vero 624. 827. de Eccleſia, quoad exiſtentiam conſiderata, quatenus ſagenæ &c. comparatur, de qua itidem Apol. l. c. Non-Sancti & Hypocritæ non conſtituunt Eccleſiam, ſed veræ Eccleſiæ ſe ſaltem, ut *σκύβαλα* & nothi, ſe ingerunt ac immiſcent. Pagg. 624. 827. putant cœtum viſibilem. Nulla ergo hic cum Anabaptiſmo &c. colluſio aut affinitas. Conf. Carpzov. l. c. p. 1036. 1037. 1041.

§. 8. Dub. VIII. Lutherus p. 544. mirabili & impura videtur loquendi forma uti, dum dicit: ne particulam quidem Spiritus Sancti &c.) ℞. Non tribuit Spiritui S. partes extra partes poſitas, ſed ſucceſſivæ & diſtinctæ noſtræ illuminationis gradus & incrementa exprimit. Utique enim Deus per partitionem donorum ſuorum nobiſcum agit, & quantum capere poſſumus, aut etiam volumus, de Se nobis communicat, v. 1. Cor. 12. totum, & 1. Cor. 13, 12. ἐκ μέρους; ubi expreſſe dicitur, nos tantum aliquid, tantum *σιτομέτριον* noſtrum, &

 portio-

portionem nobis convenientem, ex divinæ illuminationis & Spiritus Sancti plenitudine habere & capere; & Ebr. 1, 1. per τὸ πολυμερῶς fatetur ſtatim primo totius Epiſtolæ vocabulo: Deum ſe ab initio hucusque per multas partes, per varias diſtributiones manifeſtaſſe, Suique revelationem & Spiritum Sanctum impertiviſſe; item Job. 4, 12. (accipio enim locum iſtum de bono Dei ſpiritu) legitur: Et accepit auris mea particulam, aliquantillum (שֵׁמֶץ) ex illo clam ad me perlato verbo. Non igitur vel Lutherus, vel Latina Catechiſmi Lutheri Verſio l. c. Eſſentiam Spiritus Sancti, ſed creata Ipſius dona, quæ in Sanctis efficit, intelligunt.

§. 9. Dub. IX. Lutherus à p. 544. - - 547. Pædo-Baptiſmum ſatis ſolide non evincit, nec infantum fidem, quam illis, dum baptiſmo apportantur, jamdum attribuit.) ℞. Repete, quæ ſupra Subſect. II. §. 22. Dub. 22. adducta. Fidem infantum ex ſolidis argumentis expreſſe pleneque demonſtrare, h. l. Lutherus non habuit in animo ſuo, ſed tantum monuit: *Pueros non credere, nullo modo affirmandum eſſe.* p. 545. f. 546. pr. Verba vero parenthetica lin. 1. p. 546. (ut jam oſtenſum eſt) non volunt innuere, quod Lutherus ad fidem infantum, tanquam in ſuperioribus comprobatam, Lectorem remittat, ſed ad argumentum p. 545. adductum, quod Baptiſmus in ſe rectus ſit, etiam non accedente fide, reſpiciunt, ut quidem

dem ipſe contextus pag. 546. ſatis monſtrat. Si, quæ p. 546. lin. 15 -- 17. 28. 29. occurrunt, intelligas de pio animi deſiderio, tanquam genuino quodam veræ fidei prodromo, & ſaltem de fidei igniculo, per prævenientis gratiæ excitationem, ἐνέργειαν, & motionem in baptizandi corde accenſo, adeoque de propinqua, quin proxima quadam cordis ad ipſam veram fidem recipiendam diſpoſitione, talique animæ ſtatu, in quo anima quidem aliquantiſper bonos in ſe motus ſentit, ſed tamen fere fluctuat, ideoque id petit, quod ipſi aſſeverationem & convictionem certæ fidei conferat, & talem rem anhelat, cui fides adhæreſcere poſſit & alligari, utut ex parte etiam externa ſit, ob mandati divini tamen verbum ſibi ſatis ardua & validæ p. 540. f. Poſſunt etiam lineæ iſtæ p. 546. capi de ſerio divinæ ordinationi bona animi ſpe ſe ſubmittendi, divinique Spiritus operationes in ſe admittendi propoſito, ut & de bona quadam erga Deum confidentia; Si, inquam, ſic intelligantur, non puto, amplius intellectu fore difficilia, etiam cum fide, per baptiſmum demum conferenda & obſignanda facile combinabilia; negare tamen non poſſum, quod Lutheri mentem de fide infantili baptiſmum antecedente etiam intiment ac exprimant. Videtur autem certe mihi Lutherus etiam h. l. ſcil. p. 546. ad totum omnium in pia baptizatione actuum ambitum ſermonem ſuum referre, hoc ſenſus tagmate: 1.) Infans apportatur

tanquam baptizandus 2.) ſperatur fidei non obnixurus, nec 3.) medium veram fidem certò conferendi & obſignandi averſaturus, imo 4.) tenera quædam, & quamvis quidem valde languida, jamdum tamen aliqua fidei primordia, & adminicula poſſidere cenſetur, 5.) etiam apportantes ſerio precantur, atque Eccleſia orat, ut Deus baptizandum in, ſub, cum, per, & ex hoc ſacro actu fide donet, ſeu iis rebus, quæ veram fidem proprie conſtituunt oblatæ ſcil. gratiæ apprehenſione, quæ ad hominis Juſtificationem conſtitutive neceſſaria eſt. Sic ſi lineas citatas ſumere velis, nihil amplius forſan ſupererit, quod dubium facere poſſit.

§. 10. Dub. X. Verba p. 545. offendunt pias aures, quando dicitur: Nobis non ſumma vis in hoc ſita eſt, num ille, qui baptizatur, credat, nec ne? Per hoc enim Baptiſmo nihil detrahitur, idque tanto magis faciunt, quanto clarius p. 594. lin. 21. 22. videntur contrariari, cum docent: abſente fide Baptiſmus nudum & inefficax ſignum tantummodo permanet.] ℞. Verba paginæ 549. ex contextus ſcopo lucem ſuam fœnerantur; agitur enim h. l. de Baptiſmo, non in ſe ſuaque ſubſtantia, ſed in ſua efficaci operatione, myſtica virtutis ſignificatione, & ſalutari fine ſpectato, & præcipue, quatenus homo Spiritum Sanctum ex illo & per illum nullam in ſe patitur operari efficaciam; & ſic abſentia fidei facit, ut ceremonia homini intra ſeipſum ſit otioſa

tioſa ceremonia, & tantum inanis ſignificatio externi ſigni. Si fides in uſu non accedat, certe Baptiſmus in ſe quidem actu ſuo primo permanet ſignum exhibitivum, collativum, operativum ac efficax, ſed tibi infideli nudum duntaxat & inefficax efficientia actuali, quia in te, qui obicem ponendo reſiſtis, virtutem, officium ac ſcopum ſuum exſerere & obtinere nequit. Et ſic ſenſus lin. 21. 22. non eſt abſolutus, ſed relativus & reſpectivus. Conf. p. 541. l. 16. - 18. ubi idem plene ſic effertur: *Citra fidem nihil prodeſt Baptiſmus, tametſi per ſeſe cæleſtis & ineſtimabilis theſaurus eſſe negari non poſſit.* lin. 22. 24. Ecce, quomodo in loco ſuo, tempore & ſcopo juſto dicta, ſi ſic quoque accipiantur, commodus ſemper prodeat ſenſus; quod ad p. 545. l. 11 - 13. applicatum idem præſtabit. Ut enim quis Baptiſmum accipiat in ſua eſſentia, non requiritur fides. p. 545. lin. 11. - 32. ſed ut in ſalutari uſu, omnino. p. 541. lin. 9. - 24. ubi etiam ſic docetur: *Ita irrevocabiliter decretum eſt, quicquid fides non eſt, illud ad conſequendam ſalutem nihil profuturum, neque tantillum conſecuturum.* Quoad Baptiſmi ergo fructus & uſum ſalutarem vis omnis utique in hoc ſita eſt, ut baptiſmus theſaurus credatur, comprehendatur, & comprehenſus firmiter retineatur, p. 535. l. pen. & ult. & p. 536. pr. 543. pr. at quoad Baptiſmi conſtitutionem intrinſecam ſumma rei & ſumma vis in cœleſti ſanctoque verbo & præcepto Dei, aquæ accedente & ſimul juncto, conſiſtit. p.

545. l. 14. Aliud ergo eſt, cum quæro, quid baptiſmum, aliud, cum quæro, quid baptiſmus, faciat? Aliud eſt Baptiſmi ſuſceptio, & aliud Perceptio ſeu apprehenſio; illa poteſt fieri non-recto animo, ſed hæc fit fide, p. 545. lin. 22. 29. 30. & l. 20. 19. Abſentia fidei non vitiat aut corrumpit Baptiſmum, ſed potius monſtrat vitioſum & corruptum Baptiſmi acceptorem ſeu baptizatum. lin. 21. Aliud eſt, cum tractatur Baptiſmi definitio, ſeu quid ſit. p. 537.-539. Aliud, cum docetur Baptiſmi Effectus & utilitas, ſeu in quem uſum Baptiſmi ratio ſit inſtituta. p. 539 541. Aliud item, cum monſtratur, quibus Baptiſmus conferatur, aliud, quibus proſit. p. 541. 543. Aliud eſt Baptiſmi actus, aliud Baptiſmi uſus. p. 543. 544. Aliud Baptiſmi Eſſentia, aliud ſignificatio & finis. p. 548 551. aliud eſt, ſi Baptiſmus conſideratur, qua gratiæ Bona offert, aliud, ſi, qua confert; ibi rectus, hic fructuoſus audit p. 543. lin. 22. 25. Conf. p. 558. lin. 21-30. Atque ſic ſcopus paginæ 544. lin. 10. usque ad pag. 547. fin. arcte & ex debito connexus claram & planam reſpondendi rationem ſuppeditat, qui eſt Elenchus, Anabaptiſtis, pædo-baptiſmum ex objecta fidei in infante abſentia improbantibus, oppoſitus. Unde Lutherus id maxime agit, ut baptiſmum in ſe rectum, & baptiſmum in baptizato fructuoſum apte diſcernat, fideique acceſſum, non illi, ſed huic neceſſarium, evincat, & ſic Anabaptiſtis, ex prætento fidei infantilis defectu verum ipſis Baptiſmum negantí-

gantibus, fundamentum ſuum excutiat, fidemque, ad Baptiſmi in ſeipſo ſuoque eſſe conſtitutionem, non requiri oſtendat. Sermo igitur eſt hypothetico-polemicus, & adverſus Anabaptiſtarum tantummodo principium pugnat; minime tamen Lutheri mens eſt, ut quis totum ſalutaris baptiſmi complexum negligere poſſit, & ſibi tamen divinam gratiam polliceri, eo quod nihilominus baptiſmum tamen rectum acceperit ſibi abblandiendo; quippe qui omni zelo ubique contrarium urget & ingeminat. Abſit itaque omnis Lutheranæ doctrinæ abuſus, & in proterviam tranſpoſitio, & translatio. D. Carpzovius ad p. 545. lin. 11. 12. 13. ſic reſpondet: " Poſſent hæc verba: nobis non ſumma vis in hoc ſita" eſt, utrum, qui baptizatur, credat, nec ne" &c. aliquem, ſi non recte attendatur, offen-" dere; ſed loquitur Lutherus 1.) non de illis," qui baptizantur, ſed de illis, qui baptizant. 2)" de Baptiſmi eſſentia, & quod Miniſter Eccle-" ſiæ, vel etiam illi, ad quos infantis baptizan-" di apportatio pertinet, non propterea ſuper-" ſedere debeant approbatione & adminiſtratio-" ne Baptiſmi, etiamſi non certo de fide Bapti-" zandorum ipſis conſtet, p. 546. l. 25. -- 34." in Cat. Maj. non tamen vult Lutherus, qua-" ſi ſine diſcretione hic verſari oporteret mini-" ſtrum; Sed loquitur de ipſa Baptiſmi Eſſen-" tia, & quod judicium charitatis de fide adul-" torum ſufficiat, etiamſi non adeo certum ſit," nec eſſe poſſit de fide. 3.) Anabaptiſtarum "

Majorem; ubi fides non eſt, ibi nec Bapti- " ſmus rectus eſſe poteſt; falſam eſſe oſtendit. " p. 546. f. 547. Catech. 4) Non aliter hæc ver- " ba intelligi debent, quam de modo operan- " di, quem in juſtificatione & ſalvatione bapti- " ſmus ſuſtinet, ubi organum dativum eſt, &" omnibus quidem, qui baptiſantur, remiſſio- " nem peccatorum &c. offert, ſed nonniſi cre- " dentibus confert & exhibet. Quod enim re- " generationem ſtricte dictam attinet, quæ Ju- " ſtificationi antecedit, & quidem prout in in- " fantibus fit, ibi certe etiam absque fide ope- " ratur Baptiſmus, atque ſe habet, ut orga- " num operans, operaturque per modum ope- " ris operati, quod non præſupponit, neque " etiam requirit bonum motum in ſubjecto, " ſed introducit eum; in infantibus enim Ba- " ptiſmus non excitat fidem, ſicut in adultis, " jam ex verbo eam habentibus, ſed primitus " operatur, ut autem Baptiſmus fidem opere- " tur, non requiritur fides, alias daretur pro- " greſſus in infinitum. Hæc ita in Iſag. p. 1090" --- 1092. Finio! addam tamen ex Lutheri Cat. Maj. regulas nonnullas, ad piam humilemque Baptiſmi in devota conſcientia Meditationem, & quietam, corque in ſimplicitate tranquillum reddentem, ſcrupulorum exemptionem multum forſan facturas! Certe ego inde ſereniorem Epopſin, & fixe recumbentem in divina, meæ rationis ideæ ac phantaſiæ impenetrabili ordinatione, quietem ſedatamque animi in divinam ſtultitiam reclinatio-

nem

nem, ex miſeratione Domini poſt mille cruciatus intellectus pernicioſe activi, tandem conſecutus ſum. Ah! Domine confirma me miſerum! Intimius ſemper in reconditam Veritatis Tuæ ſummeque myſterioſam ſimplicitatem me intromitte! O ſapientiam in ſtultitia! Tu ſolus vis adorari! Tibi ſoli parendum! Sufficit, Te jubere, Te ordinare! Ἀυτὸς ἔφα. Quis obnitatur Timotheus, id eſt, Tui ô Deus Venerator. Forſan guſtum mihi guſtatum etiam aliis propinabunt cautelæ & rationes ſtatus, Theocratici æque ac Chriſtiani, quas ſubnecto. Benedic ô JEſu nobis, ſcribenti mihi, & Lectori meo. Sic itaque Lutherus recte & pie monet: " Quicquid DEus inſtituit, & faciendum præcipit, certe non rem nihili, ſed " rem pretioſam & utilem eſſe, neceſſe eſt, tametſi, quoad externam faciem ſtramineo " culmo vilior eſſet. p. 536. it. Baptizari in no- " mine Dei, non eſt ab hominibus, ſed ipſo " Deo baptizari. -- Sed enim hîc omni ſtudio " occupatus eſt Diabolus, ut factitia quadam " larva & facie nos decipiat, & à Dei opere ad " noſtrum opus nos abducat. p. 536. f. item, " Inſana ratio perverſe ac præpoſtere judicans i- " ta exiſtimat, cum non perinde ſplendidam " faciem Baptiſmus præ ſe ferre ſoleat, nullius " etiam momenti eſſe Baptiſmum p. 537. item, " Verbum Dei, aut præceptum ac Nomen Dei " in aqua ipſe ſolet eſſe nucleus, qui theſaurus " ipſo cœlo & terra omnibus modis eſt nobilior " & præſtantior. Ab ordinatione Dei pretio "

ſiſſimum κειμήλιον, quo Deus illam conſtrin-"
xit & incluſit, neque inde divelli vult aut ſe-"
jungi, ne avellas, verendum tibi, ô homo!"
p. 537. f. it. Ubicunque Dei nomen eſt, ibi"
vitam quoque & ſummam felicitatem eſſe,"
neceſſe eſt. p. 539. f. 540. pr. it. Fides neceſ-"
ſariò aliquid habet, quod credat, hoc eſt, cui"
innitatur, & qua re ſuffulta perſiſtat. Fides"
aquæ adhærens, credensque, baptiſmum eſ-"
ſe, verbo & ordinatione Dei, Deique nomi-"
ne nobilitatum, unitum & confirmatum, ni-"
hil aliud quam in Deum credit, ut in Eum,"
qui Verbum ſuum Baptiſmo indidit ac inſe-"
ruit; nobisque externas res proponit, in"
quibus tantarum rerum theſaurum com-"
prehendere queamus, pag. 540. it. Dei o-"
pera (Baptiſmus quoque Dei opus, p. 253."
541.) fidem tam neceſſariam requirunt, ut"
citra illam nec ipſa nec quicquam compre-"
hendere, apprehendere aut conſequi poſſi-"
mus. p. 541. f. it. Baptiſmi conſtitutio adeo"
plena eſt conſolationis & gratiæ, ut ejus ſub-"
limitatem cœlum ac terra aſſequi nequeant.
Verum hic arte opus eſt, ut hæc vera eſſe cre-"
dantur, neque in theſauro quicquam deſide-"
rari poteſt, in hoc vis ſita eſt, ut comprehen-"
datur, & comprehenſus firmiter retineatur,"
p. 542. f. 543. pr. it. Qua propter quivis"
Chriſtianus per omnem vitam ſatis habet ne-"
gotii, ut credat firmiter, quæcunque Bapti-"
ſmo promittuntur & offeruntur, nempe vi-"
ctoriam mortis ac diaboli, remiſſionem pec-"
catorum,

catorum, gratiam Dei, Chriſtum cum o-"
mnibus ſuis operibus, & Spiritum Sanctum"
cum omnibus ſuis dotibus; Breviter; iſta o-"
mnia, quæ Baptiſmus ſecum apportat, o-"
mnem humanam cogitationem exſuperant,"
ita ut, ſi imbecilla natura animo repeteret,"
non injuria in dubium veniret, num vera eſſe"
poſſint? p. 543. l. 4. 6. - 14. it. Ideo hæc duo"
in Baptiſmo fiunt, ut & corpus aqua perfun-"
datur, quod præter aquam nihil plus poteſt"
capere; & ad hoc verba proferuntur, ut & hæc"
(verba ſcil.) anima capiat. Jam vero quo-"
niam & aquam & verbum unum Baptiſmum"
eſſe conſtat, ſequitur, ut & corpus & anima"
ſalva fiant, ac in æternum vivant; anima"
quidem per verbum, cui credit, corpus au-"
tem, quia animæ unitum eſt, & Baptiſmum"
quoque apprehendit, qua ratione poteſt ap-"
prehendere; quare neque in anima, neque in"
corpore uſpiam rem pretioſiorem habemus,"
ſiquidem Baptiſmi auxilio prorſus Sancti ac"
felices reddimur. p. 543. f. 544. pr. confer-"
ri poſſunt p. 97. l. 19. p. 267. l. 28. 29. p."
558. l. 15. 16. 33. -- 35. p. 565. l. 14. -- 16."
it. Veteris Adami mortificatio & novi ho-"
minis reſurrectio per omnem vitam nobis"
indeſinenter exercenda ſunt, ita ut Chriſtia-"
ni vita nihil aliud ſit, quam quotidianus qui-"
dam baptiſmus, ſemel quidem inceptus, ſed"
qui ſemper exercendus; ita enim fieri neceſſe"
eſt, ut ſubinde veteris hominis ſordes repur-"
gentur atque eluantur, ut novi nitor & for-"

ma

ma prodeat. p. 548. it. Baptiſmus cuique quo " tidianus, quo indutus ſemper debet incedere, " ut nunquam non in fide, ejusque fructibus " inveniatur, ut coërcitis veteris hominis con- " cupiſcentiis in novo adoleſcat; ſi enim Chri- " ſtiani perhiberi contendimus, Baptiſmi opus " ſedulo nobis exercendum eſt, unde Chriſtia- " ni appellationem promeremur. p. 551. Huc " usque Lutherus. JESUS CHRISTUS, in quem baptizamur, Baptiſmum ſuum nobis ſic credendum ac experiendum applicet atque obſignet. Amen.

§. 11. Dub. XI. Hieronymus p. 550. immerito exagitatur; rhetoricus ejus flos cenſuræ ſubjicitur juſto rigidiori; ac talia ipſimet imputata ſunt, quorum cum illo ſuo dicto non eſt reus.) ℞. Videtur facilis diſcuſſio, & conciliatio quædam. Lutherus Hieronymum recte notat ob ambiguum dictum, idque tanto magis, ſi idem per navim, baptiſmum in ſe, & non potius fœdus ex parte noſtri cum Deo in baptiſmo initum, intellexit; alias enim Hieronymi ſententia commodum quoque ſenſum nanciſci & habere poteſt, ſi nimirum accipiatur de naufragio fidei & bonæ conſcientiæ ex parte hominis, non autem de naufragio fœderis baptiſmalis ex parte Dei, ſic enim pœnitentia utique ſecunda poſt naufragium tabula eſt. v. Scherzer. Syſt. Loc. XI. p. 293. Rudrauf. Syllog. p. 290. Iſag. Carpzov. p. 1094. Puto autem, præterea quod Lutherus periculoſam dicti uſurpationem & applicationem

nem præcipue reſpexerit, prout ſic ex illo multos annos ſiniſtra opinio multorum animos occupaverat. Conf. Chemnit. Exam. Part. II. f. 240. ſeqq. Lutheri. Tom. V. Opp. fol. 157. b. Loca, ubi Hieronym. Scriptum hoc reliquerit, exhibet Carpzov. Iſag. p. 1094. Suum debitum honorem Hieronymo Lutherus non detraxit, Divum eum appellavit; nec ipſius animo aut ſcopo imputat ſublatum baptiſmi uſum, ſed tantum Ejus ſcripto, non ſatis forte circumſpecto, & præpoſteræ deinde ejusdem applicationi, & ab aliis introductæ uſurpationi.

§. 12. Dub. XII. Nimis anthropomorphicῶs de Deo loqui videtur Lutherus p. 554. 731. dum Deo minimum digitulum tribuit.) ℟. Loquitur de Deo ἐγγράφως. Etiam ſcriptura Deo digitum tribuit. Et quid notius de Θεανθρώπῳ? Senſu Biblico etiam Lutherus capit, quaſi dicat, infimus (ut ſic ad hominem loquar) divinæ Sapientiæ & Prudentiæ gradus ſublimior eſt, quam ſumma hominum intelligentia; juſtum ergo, ut hæc pareat illi! Peculiaris denique loquendi modus etiam eſt, quem Lutherus ad extollendum (quantum poterat) Deum, & deprimendam hominis præſumptionem gravi & ſerio zelo adactus magna cum emphaſi adhibuit.

§. 13. Dub. XIII. Lutherus p. 557. ait: Chriſti corpus non poteſt eſſe infrugiferum. Atqui eſt in indignis ac impiis?) ℟. Sermo eſt de Corpore Chriſti in ſe ſuaque natura, & ex Dei inten-

intentione ſpectato; non vero de eo, quod eidem aliunde, & ex vitio impœnitentium accedit & accidit. Solis enim fidelibus prodeſſe p. 558. 559. impiis autem pernicioſum p. 565. docet. Certe otioſa res non eſt corpus Chriſti in piis æque ac impiis. Deo fructus fert; hominem, qui eo veſcitur, vel gratiæ tradendo, vel κρίματι ſubjiciendo. Etiam Juſtitia Dei tanto majus inde puniendi jus & argumentum adverſus impium conſequitur. Quid enim repugnat, Corpori Chriſti evenire, quod Ejusdem Cognitioni & Miniſterio? Aliis eſt odor mortis in mortem! Aliis odor vitæ in vitam! Annon ſic omnia ſuos ferunt fructus ac effectus in ſalvandis æque ac pereuntibus? Horum fructus eſt confuſio & mors, illorum, ſanctificatio, & vita æterna. Sed ſermo p. 557. l. 10. - 12. proprie ac unice eſt de ſalutari fructu, & de corpore Chriſti, qua id fidelis vera fide, tanquam corpus Chriſti & tanquam ſuum, tanquam ſuum theſaurum gratuitoque conceſſum donum, corde apprehendit.

§. 14. Dub. XIV. Pag. 554. 555. dicitur: ſive quis credat, ſive non, tamen accipit verum Chriſti corpus. Et Pag. 558. 559. tamen quoque legitur: Diffidens nihil habet. it. Quod corpus Chriſti nobis donatur, fides cordis facit. Conf. p. 549. l. 21. 22. contradicunt paginæ 603. Num. 14. 747. l. 13. 751. l. 7.) ℞. Magnam partem, quæ ad Dub. X. modo dixi, huc translata, etiam hunc tollent ſcrupulum. Paginæ 554. lin. 29. 30. 555. pr. loquun-

quuntur de Cœnæ ſubſtantia, ſeu quid ſit? At paginæ 558. l. 22. 23. 559. l. 4. - - - 7. de ſalutari Cœnæ in fidelibus uſu; & pag. 603. n. 14. 747. l. 13. 751. l. 7. de cauſa præſentiæ Chriſti in Cœna, ut & Sacramenti ipſius efficiente; unde ne veſtigium quidem ullius veræ ac realis contradictionis ſupereſt aut apparet. Accipit impius Chriſti corpus, ſed in judicium, 1. Cor. 11, 29. p. 554. ſeqq. ſed de effectu ſalutari, virtute & utilitate nihil, p. 558. Quæ enim offert & benigne pollicetur, non poſſunt aliter atque per fidem percipi; eam fidem ipſe exigit verbis, pro vobis. Fidelis, tanquam rem propriam ſibi corpus Chriſti vindicat, illoque ita fruitur. Qui hæc ſibi dicta ſtatuit, creditque ita ſe habere, ille certo eadem conſequitur. Verbis his diffidens nihil eorum, quæ fide accipienda fuerant, habet, utpote qui nequicquam hæc ſibi offerri patitur, neque tam ſalubri bono frui cupit. Peculiari hîc theſauri hujus, ſibique applicata, vendicatione opus eſt. Quod in verbo hoc: pro vobis, & per hoc verbum nobis corpus Chriſti, tanquam proprius noſter theſaurus & gratuitum donum donatur, corpus noſtrum, quod ſe quidem modeſte & reverenter erga corpus Chriſti gerere debet, & externa præparatio nullo modo poteſt aſſequi aut apprehendere, ſed fides cordis, ejuſmodi theſaurum cognoſcentis & cupientis, hoc facit, ſcil. Chriſti corpus, tanquam ſuum ſibi appropriandum gratiæ theſaurum apprehendit; manibus enim ejus-

ejusmodi donum non eſt apprehenſibile. v. p. 558. 559.

Subſectio V.

DUBIA,

Ex Formula Concordiæ ſtricte dicta collecta diſcutit.

§. 1. Dub. I. Locus 2. Cor. 3, 5. p. 579. f. & 658. de irregenitis incommode exponitur.) ℞. Form. Conc. ſtricte dicta locum iſtum non tam de Hominis non-renati & naturalis Libero Arbitrio exponit, quam argumenti inſtar, (quo ab eo, quod majus eſt, ad id, quod minus eſt, & contra, colligit) ad ſtatum hominis ante regenerationem quodammodo applicat & accommodat, hoc fere ſenſu: Si naturale liberum arbitrium in beatis Apoſtolis, aliisque renatis hominibus etiam poſt regenerationem, ex ſe boni quid producendi ineptum eſt ac invalidum, quanto minus aptum validumve erit naturale Lib. Arb. in non-renatis, & quam plane nullum? Conf. p. 660. f. Dein etiam per modum comparationis dictum iſtud 2. Cor. 3, 5. adductum cenſeo, quaſi dicat: Sicut *ἱκανότης* miniſtrorum Evangelii in obeundis, ſuſtinendis, ac efficiendis Miniſterii ſui partibus unice à Θεοσδότοις donis ac viribus Spiritus Sancti dependet; ſic ſane etiam *ἱκανότης* communis, at veri, Chriſtianiſmi in

in veris fidei exercitiis à ſolo Dei dono expectanda & obtinenda erit; habent enim admodum propinquā inter ſe illa dona convenientiam, arctamque connexionem; & utrumque à ſolo & unico omnium Bonorum Datore ac Largitore fidelibus confertur; atque ita certe divinæ gratiæ & virtuti ſemper (ſeu in communi & univerſali, ſeu etiam in propria & perſonali vocatione Dei Deo ἐυαρέστως vivere velis) omnia in ſolidum cedenda, & vendicanda erunt, ac debebuntur, quod certiſſime verum eſt. Et ſic citatio, quæ congruum ſuo ſcopo ſenſum ex ſacro Textu mediate ac δευτέρως eruit, ſatis puto defenditur.

§. 2. Dub. II. Pſalm. 95, 8. p. 580. inconcinne applicatur.] ℞. Allegationis ſenſus ex ſcopo contextus dijūdicandus eſt, ad quem h. l. Numerus 3. p. 579. 580. intendit, ſcil. nihil ex dicto pſalm. 95, 8. probare vult, quam Deum ad convertendum hominem, tanquam medium, ordinaſſe verbi ſui & prædicationem, & auſcultationem, adverſus quam aures non ſint obturandæ; & hanc eſſe Dei voluntatem, ex pſalmo tantum confirmatum it. Quibus hujus dicti hoc loco adductio ſcrupulum movit, oppoſuerunt, quod David non de aurium, ſed cordis obduratione loquatur, & quod videri queat, quaſi in hominis poteſtate ſit, non ſolum aures, ſed & cor ipſum aperire; verum parvi ſunt iſta momenti; forſan enim ſimul etiam ad Pſalm. 58, 5. Form. Conc. quoque reſpicit, ſi non quam maxime, in p.

580. l. 4. inſuper auditus obturatio cordis obdurationem & parit & ſequitur; non autem bene colligitur: Externam verbi audiendi occaſionem non negligere, aures malitioſe non obturare, in hominis poteſtate quodammodo ſupereſt; E. etiam poteſtas aperiendi? *ἀνακόλουθον*!

§. 3. Dub. III. F. C. p. 592. in definienda Lege magno cum periculo partem illam, quæ eſt de conditionalibus Legis promiſſionibus, omiſit.] ℞. Expendit ac diſcuſſit hoc D. Hutter. in Comm. Form. Conc. p. 466.

§. 4. Dub. IV. Veritates practicæ, Eccleſiæque puritati ſervientes p. 626. num. 7. 829. n. 6. videntur improbari; ſicque pag. 353. 354. omnibusque de Poteſtate clavium locis contradici.] ℞. Pag. 626. n. 7. 829. n. 6. proceſſum excommunicationis publicum, externum ac ordinarium, ſpectacula illa Satisfactionum, de quibus p. 184. 185. valde redolentem, morumque illorum diu antiquatorum reſtitutionem tanquam neceſſariam contra p. 183. urgentem, improbant; non autem officium ac jus excommunicandi reos manifeſtorum criminum, & legitimum clavis ligantis exercitium, ad morum emendationem, & gloriam Dei, de quo p. 354. ut quod ubivis inculcant Libri Symbolici. Poteſtas autem peccata retinendi toto cœlo ab iſto externo ordinario Excommunicationis delectu diſtat. Nec hujus exercitium aut poſſibile, aut neceſſarium, aut proficuum eſt. Nec Ec-

clesiæ,

cleſiæ, quæ à Chriſto areæ & ſagenæ v. p. 144. comparatur, congruit.

§. 5. Dub. V. Pag. 632. 636. dicitur, Form. Conc. iſta inſerenda ac inſerta fuiſſe ſcripta, quæ ante certamina edita ſint; cur ergo Loci Philippi, ut ante A. C. & ante Apol. conſcripti, exulant inibi?) ℞. Non plus dicunt ll. cc. quam ſe ſcripta illa publica, quæ in omnibus Eccleſiis A. C. pro communibus Confesſionibus ſemper habita ſint ante diſſenſiones inter A. C. Theologos exortas, amplecti; & Libro Concordiæ in genere ſic dicto inſita, omnia ante lites ortas edita eſſe; non autem dicunt, ſe omnia, quæ ante contentiones conſcripta, Formulæ inſerere velle, aut inſeruiſſe, ſed tantum, talia. Nec Loci Philippi non mutati hodienum improbantur, nec olim rejecti, teſte Chemnitio ipſo.

§. 6. Dub. VI. Pag. 646. 573. 574. 648. animarum creatio ſtatuitur,) ℞. Deus creat animam & corpus, i. e. format, fingit, dat. Contextus mediatam creationem ſatis innuit. Creat; termino latius accepto.

§. 7. Dub. VII. Tò *æternam* p. 658. non gignit ſenſum commode cohærentem. it. p. 316. lin. 2. 3. in Edit. Lipſienſi de 1698. verba non fluunt.) ℞. Pag 658. legendum externam, i. e. terrenam, corporalem, naturalem. In Germ. eſt: Das zeitliche ſc. Leben. p. 316. lege: Apoſtolum Papam ſ. Anti Chriſtum in regno ipſius. Sphalmata Typothetica, ex correctioribus emendanda Editionibus!

§ 8. Dub. VIII. Dictum 2. Cor. 6, 1. pag. 674. ſiniſtre & vertitur & applicatur.) ℞. Margo pag. 674. dictum iſtud recte vertit; ſed Textus Formulæ Concordiæ vocem, quæ dignitatem & effectum Miniſterii, de quo in præcedd. 2. Cor. epiſtolæ capitibus plura, exprimit, ſcil. τὸ συνεργοῦντες ſeu cooperarii, ad omnes Chriſtianos converſos & renatos applicat, quod eſt leviſſimum parorama, tantumque vocabulorum translocatio; alias tamen omnia vera & pia ſunt, quæ Form. Conc. exinde colligit. Modus ex dicto inferendi hic eſt: Viribus Spiritus Sancti donatis cooperantur Miniſtri Miniſterio, & Chriſtiani Chriſtianiſmo.

§. 9. Dub. IX. Pag. 678. ait: omnia media ab Enthuſiaſtis rejecta fuiſſe. Neſcio, an id ex Scriptis ipſorum, ſinceraque iſtorum Temporum Hiſtoria demonſtrari queat?) ℞. Sermo Senſusque eſt de Mediis vere, proprie & ſtricte dictis, ἐγγράφοις, & ab Eccleſia Chriſti ſemper pro γνησίοις mediis habitis; non autem de omnibus iis, quæ diverſimode ad converſionem aliquid, aut aliquantillum duntaxat, conferre poſſunt, aut quæ quis ſibimetipſi forſan ex variis cauſis ac finibus, tanquam media quædam, imprimit & format. Intelliguntur ergo talia, quæ ordinarie & communiter ſtylo Eccleſiaſtico Media audiunt. Sic, ſi iſti homines, quorum craſſam (prout adducitur) opinionem Melanchthon p. 202. l. 8.-10. perſtringit, ſuas præparationes, otium, ſilentium,

lentium, loca obſcura &c. ſimpliciter tanquam media illuminationis genuina habuerunt, termino Medii latiſſime quin catachreſtice puto fuiſſe uſos. Item, ſi quis orationem, crucem, miracula, horrendos ſubitosque caſus & quid non? cujus & quorum interventu homines nonnunquam ad quærendum utcunq; Deum, & ad quantulamcunque animadverſionem, aut etiam agnitionem ſui ſtatus, in quo vivunt, ex torpore excitari, aureſque ipſis vellicari ſolent, media ſalutis vocare velit, is itidem terminum ſecus quam obtinet, nimisque late & confuſe uſurpaverit; quanquam etiam iſta omnia & ſingula magnam inter ſe, quoad internam indolem & quoad operandi modum, diſſimilitudinem habeant.

§. 10. Dub. X. Dictum 1. Cor. 5, 6. p. 683. in margine prorſus *ἀναρμόνως* ad fidei Juſtitiam in ſumma ſua puritate conſervandam allegatur.) ℞. Videtur mihi p. 683. l. 18. - 20. ſaltem ad Gal. 5, 9. digitum intendere, ubi Paulus præcipue Fidei Juſtitiam vi contextus v. c. verſ. 4. 5. reſpicit; non autem ad 1. Cor. 5, 6. ubi de uno perverſo homine excludendo agitur; quem locum ab alia manu appoſitum puto, vel tantummodo ob verbalem paralleliſmum & aliquam Tertii comparationis mutuam analogiam, ex abundanti adjectum. Comparatio foret hæc: Uti vel unus homo facillime plures in peccati conſortium pellicit ac trahit, niſi tanquam immedicabile vulnus enſe recidatur, ne pars ſincera trahatur; ita vel le-

vis error, aut nævus articulo Juſtificationis immixtus totum facile dogmatum Syſtema luxat, corrumpit, rumpit ac violat; uti itaque Eccleſia impuros ac impios; ſic Juſtitia Fidei Operarios extimeſcit; atque excludit. Quod parum fermenti maſſæ toti, idem facit peccator Eccleſiæ, Error Juſtitiæ fidei.

§. 11. Dub. XI. Pagina 705. lin. 13. 14. nimis aſpera ſonat, dum etiam tantum phraſεως: B. O. ſunt ad ſalutem neceſſaria; commodam aliquam innocentemque Interpretationem aut mitigationem interdicit, ac pigmentum vocat. Quod vix videtur ἐπιεικὲς; præſertim, cum ipſa F. C. idem in phraſi horribili: B. O. ſunt ad ſalutem pernicioſa, tentaverit ac præſtiterit. p. 591. 708. Inde odio & gratiæ aliquid ab ipſis datum fuiſſe, ſe ſuſpectos faciunt F. C. autores, id, contra Georg. Majorem, hoc, erga Nic. Ambſdorfium) κ. Commodum ſenſum phraſeos: B. O. ſunt ad ſalutem neceſſaria, terſe non minus, quam prolixe explanavit cum Epitome art. 4. p. 588.-590. tum Declaratio, art. 4. p. 698.-704. Tantum ſuſpectam jure ac pericloſam defenſionem aut incruſtationem prohibet ac diſſuadet. Nec id ſane neceſſarium videre poſſum aut conſultum. Phraſin oppoſitam æque graviter reprehendit ac rejecit p. 591. 708. Ἀνθρωπολη\ψίας imputatio eſt mera præſumptio, conjectura, imo ſuſpicio, quæ ὑπόνοιαι, ſi pravæ, abſunto à Chriſtiano amoris amico.

§. 12.

§. 12. Dub. XII. Paginæ 711. 712. 593. Moſi ſpiritualem ac veram Legis explicationem denegant, Moſique imputant, quod impœnitentiæ, propriæ occœcationi, obdurationi, ſpiſſæque Judæorum carnalitati imputandum fuerat.) ℞. Tantum dicunt, quid Moſes, qua merus Moſes, i. e. duntaxat Legis divinæ præco, & tantum rigidus perfectæ obedientiæ exactor, it. quid ſolus Moſes, ut expreſſe loquitur p. 593. lin. 25. præſtare non poſſit? ipſius Oeconomiæ competentem ſpiritualem Legis expoſitionem ipſi non denegant, ſed id ſaltem agunt, ut monſtrent, nudam peccatorum ex Lege agnitionem ad ſalutarem converſionem ad Deum non ſufficere, ſed Evangelii Chriſtique acceſſione opus eſſe, ut fiat pœnitentia ad ſalutem. Velamen, faciei Moſis ſuperimpoſitum, in honorem claritatis ſplendoriſque, irregenitis intolerabilis, ipſi cedit. Chriſtum autem eſſe velaminis iſtius abrogatorem, ſervo in domo Dei fideli & metrum ſuum explenti, ſcilicet Moſi, gratum, decorum, diuque expectatum quid eſt. Moſi nihil, quod Judæorum ac infidelium malitiæ tribuendum erat, imputatur. Joh. 1, 18. 2. Cor. 3. Gal. 3. & Epiſtola ad Hebræos, ut & Matth. 5, 7. capita paginas 711. 712. 593. ſatis defendunt. Moſes & Chriſtus junctis operis operantur, & ſalutarem nobis pœnitentiam monſtrant. Sic Veteris Novique Teſtamenti connexio poſcit & harmonia.

§. 13. Dub. XIII, Luth. p. 733. l. 26. - - 29.

nimis αὐτεξουσίως loquitur, quaſi etiam quoad futurum ſui juris eſſet; videtur nimia, ſi non temeraria, animi præſumptio.) ℞. Solidam fidei ſuæ plerophoriam & certitudinem exprimit. Se non eſſe vertumnum intimat. Si ſemper idem ſentire velis, verum ſentias oportet. Senecæ dictum. Luthero h. l. creditum certoque perſuaſum. Τῷ αὐτεξουσίῳ opponit bonum Domini adjumentum l. 19. & gratiam Dei. l. 29. Adeo ſeriæ & conſcientioſæ de & ex Luthero h. l. expreſſiones leguntur, (v. c. coram tribunali Domini noſtri JEſu Chriſti intrepide comparere paratus ſum-- - intelligo, quanta res mea agatur in illo die Domini noſtri JEſu Chriſti, cum venerit vivos & mortuos judicaturus; quare nemo me in re tam magna & ſeria nugari exiſtimet; hæc enim res vel maxime cordi mihi eſt. p. 734.) ut ipſum ſatis ſuperque ab omni temeritatis aut præſumptionis ſuſpicione liberent.

§. 14. Dub. XIV. Lutheri Verba p. 735. l. 3. 4. vix Spiritum Chriſti autorem habent.) ℞. Spirant quidem effata iſta rancorem rigoremque quendam, ſed de tali amicitia ac familiaritate intellecta, quæ inter veros fidei domeſticos mutua intercedit, fervoris, qui videtur, nimii multum remittent, propiusque à 2. Joh. 10. aberunt. Amicitiam enim communem, & cum humano genere pares terminos haben-

tem,

tem, i. e. φιλανθρωπίαν, Lutherus etiam ſecus ſentientibus non recuſaverit. Adverſariorum etiam rigor in varie incruſtando & obtrudendo ſuo dogmate h. l. attendendus, qui Luthero tandem iſtas admodum veloces fervidasque voces extorſit. Et condonemus aliquid humanæ interdum Polemicorum imbecillitati. Nil eſt ex omni parte beatum. Animi ſincera conſtitutio, Deique gloriam ambiens intentio, etiam aliquem coram divino æſtimio hic occupabunt locum. Quis eſt, cui ne verbum quidem excidat aliud agenti? Ubi iſte vir perfectus? Jac. 3, 2.

§. 15. Dub. XV. Similitudo Juſtini p. 736. lin. 20. - 25. non unis difficultatibus quoad rem ac phraſin obnoxia eſt.) ℞. Similia non ſunt nimis extendenda, ſed ex ſcopo dijudicanda, ſcopoque convenienter explicanda. Senſus Juſtini tantum hoc vult: Uti Chriſtus non eſt ψιλὸς ἄνθρωπος. Sic nec panis cœnæ ψιλὸς ἄρτος; utrobique propter verbum Dei; per hoc Chriſtus caro eſt factus; per hoc panis eſt corpus Chriſti; modum, gradum, durationem, aliasque circumſtantias ſimile non reſpicit; neque enim hypoſtaticam unionem cum Sacramentali commiſcet, confundit aut identificat, nec hanc ex illa præciſe, præcipue ac unice emanantem putat facit ve. Hoc tantum intimat: Chriſtus ſe in carnem veſtivit per incarnationem; Sic corpus Chriſti in & cum pane unit ſe ac abſcondit (ut ſic ex Eccle-

ſiæ hymno loquar) per unionem elementi & verbi, h. e. Sacramentalem.

§. 16. Dub. XVI. Mira Transſubſtantiationique favens phraſis videtur eſſe, cum p. 748. dicitur: Non homo panem & vinum facit corpus & ſanguinem Chriſti, ſed Chriſtus.) ℟. Idem eſt cum eo, quod modo p. 747. l. 11. 12. dictum erat: Veram præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti non efficit ullius hominis vel verbum, vel opus, dignitas ſeu meritum, ſeu pronunciatio miniſtri, ſeu manducatio, ſeu fides communicantium; horum nullum nobis corpus & ſanguinem Chriſti præſentia facit. & ſeqq. & ſtatim ea ipſa pagina 747. lin. 21. - 23. repetit: Non opus noſtrum, non pronunciatio noſtra, ſed mandatum & ordinatio Chriſti efficiunt, ut panis ſit corpus, & vinum ſit ſanguis Chriſti. Satis Pontificiæ Transſubſtantiationi ubique à LL. Symb. contradictum eſt, ut, ipſis ineptam ejusmodi formulam temere & quaſi aliud cogitando elapſam eſſe, non poſſimus ſuſpicari.

§. 17. Dub. XVII. Pag. 748. f. dicit: Chriſtum præcepiſſe, ut verba hæc: Hoc eſt corpus meum, pronunciemus; at unde id probatur?) ℟. Quia Tò HOC; in HOC AGITE! ad totum, qui antegreſſus erat, Chriſti actum ſe extendit; alias enim conſcientia nunquam erit pacata, ſi non omne conjungat, quod Chriſtus conjunxit. Certe Chriſti etiam hactenus imitatio cordi pio tutiſſima eſt. Recte igitur

etiam

etiam verborum à Chriſto pronunciatorum pronunciatio, tanquam à Chriſto præcepta, retinetur ac uſurpatur. Exhibet p. 748. f. bonam quoque reſponſionem.

§. 18. Dub. XVIII. de Chriſto p. 754. 784. duræ occurrunt formulæ.) ℞. Formulæ ſunt: *Chriſtus eſt una inſeparabilis perſona cum Deo: Chriſtus talis eſt homo, qui præter naturæ ordinem cum Deo una eſt perſona; & extra HUNC Hominem nullus Deus reperitur.* Verum enim vero nihil aliud intenditur, quam Chriſtum non eſſe ψιλάνθρωπον. Et ſi Tò Chriſtus per Filius Hominis ſeu Carc & Tò Deus per λόγος alternes, omnis dui tiei apparentia corruet, hoc ſenſu: Caro verbum faciunt unum Dominum JEſum, ‹ eſt una perſona; Humana Chriſti natura nu bi eſt, ubi Divina non ſit etiam. En! me ta omnia, quæ unionis perſonalis myſterii non attendenti primo obtutu dura videri[illegible] terant.

§. 19. Dub. XIX. Duo poſteriora conu nicationis idiomatum genera p. 770. 77[illegible] inverſo recenſentur ordine.) ℞. Ordo à Chemnitio & Form. Conc. obſervatus, non eſt[illegible] do Naturæ, ſed ſcopo nonnihil commo[illegible]ris doctrinæ, ad controverſiarum multitu[illegible]em circa tertium genus exortarum reſpicier Ordine enim Naturæ attenduntur in hac [illegible]ommunicatione 1.) idiomata humana, F[illegible]o Dei appropriata, 2.) axiomata Divina, Hmanæ Chriſti naturæ donata, 3.) apotele[illegible]ta & opera cum communicatione utriusqe Naturæ producta,

producta. Et ſic tertium genus ſecundo loco ponendum erat, cum ordine Naturæ tertium (ut ſcil. Formula Conc. ponit) prius ſit, & ab eo pendeat ſecundum; (per Form. Conc. Ordinem) nec enim ſanguis Chriſti nos emundare poſſet, ſi non Majeſtas vivificandi & purificandi carni Chriſti fuiſſet communicata, de quo in tertio (per F. C.) genere agitur. Ordine Naturæ prima claſſis eſt ἀντιδοτικὴ; hic regnant idiomata; Secunda Claſſis autem ςαδοϊκὴ, hic regnant axiomata; Tertia deque κοινοποιητικὴ, hic Apotelesmata. Per-et autem Ordo enumerationis non ad fidei ſtitutionem, ſed ad methodum docendi; rudentiæ docentis, ſalva Form. Conc. autate, committi poteſt. v. Hutter. in Form. C. p. 775. Dannh. Hodos. p. 644. 652. 6 & D. Carpz. Iſag. per D. Olear. contin. p. 1508. ſeqq.

20. Dub. XX. Pag. 781. f. dicitur: De tantum dona creata in Sanctis efficere, qu eſſentiali Dei in illis inhabitationi p. 698. 587. 6. aſſertæ videtur contrariari.) ℞. Dona c ta pag. 781. f. opponuntur non eſſentiæ Dei piis habitanti, ſed plenitudini Deitatis, de q p. 775. 780. quæ ſanctis jure negatur. Non citur, quod Spiritus Sanctus *tantum dona* in ctis efficiat (ut quod p. 587. 695. 698. recte probat) ſed additur: tantum dona creata menſurata. Fit enim oppoſitio quædam & mparatio axiomatum Chriſto collatorum r unionem cum axiomatibus Chriſtianis

Chriſtianis per gratiam donatis, eo fine, ut Chriſtus ſine menſura Spiritu unctus & tanquam ὁ πρωτεύων ἐν πᾶσι conſpicuus fiat & ſit.

§. 21. Dub. XXI. Annus Chriſtogonias p. 785. contra Hiſtoriæ monumentorum fidem nimis magiſterialiter & pro imperio fere determinatus videtur.) ℟. Olim, & in primo Cenſoribus transmiſſo Manuſcripto loco verborum: juxta ſupputationem veram; generalius ac indeterminate ſic tantum legebatur: ut numeratur & ſcribitur. Id quod forſan in gratiam Cenſorum dein mutatum. Sed fere res nihili eſt, quod exinde deſiderari vel vult vel poteſt. Quicquid enim ſit, certe prout ipſis & Luthero Tom. 5. Germ. Witt. p. 545. perſuaſum erat, ſic ducto calculo annum determinarunt. Et quanquam v. gr. in libello quodam germanico, ſcil. M. Büttners Anti-Chriſtiſche Chriſt-Larve p. 46. - 49. quadraginta propemodum de anno Nativitatis Chriſti opiniones legamus, quis tamen litis deciſionem ſibi arrogare audebit? Computus noſter, ut puto, primas ex jure ac merito ſuo tenet. Et quis adverſus ſolem latret? Sequimur communem numerandi conſuetudinem prudentius, quam ſi vanæ novitatis pruritum aut paſcamus, aut prodamus. Eſt res ad chronotacticam criſin pertinens. Quod ſi tibi in hac Hiſtoriæ Chriſtogonias Chronologia, non quod pueri in faba, reperiſſe videaris, & forſan aliquot annos exactius numeres, quid quæſo

Chri-

Chriſtianiſmum tuum vel aliorum inde juveris? Labora, ut in Te formetur Chriſtus, & Tu in Ipſum ac Ipſo. Hoc opus! Hic Labor!

§. 22. Dub. XXII. Singularis videtur loquendi modus, cum pag. 819. legitur: Deus non eſt cauſa pœnæ ac damnationis, ſed peccatum; Atqui Deus tamen punit ac damnat?) ℞. Eſt nervoſa & plana formula. Uti enim Deus juſtus ac ſanctus eſt & ſeverus Judex: Ita etiam punit puniendos; ſed ut pœnæ ſint obnoxii, Ipſe non eſt autor, nec id facit, verum propria peccatoris culpa. Homo facit, ut ſit puniendus, Deus punit hominem, quod eſt puniendus. Sic vinum non eſt (ſed mala potantis mens) cauſa inebriationis, & tamen inebriat. Diſtincta cauſarum doctrina tales loquendi formas facillime explanat. Sed mitto argutas cogitationes. Quoad rem ipſam enim omnia ſatis clara ſunt.

§. 23. Dub. XXIII. Deus peccata peccatis punit, docet p. 820. At Chemnit Part. I. LL. Theol. p. 371. & Gerh. Tom. 2. Loc. de Prov. p. 140. phraſin hanc apud Carpz. in Iſag. p. p. 506. improbant.) ℞. Senſui Calviniano ſe opponunt, non autem alias etiam Noſtratibus explicari ſolito. Mentem ſuam liquidam & plenam ipſa Conc. Formula expreſſit p. 820. 821. Exactiorem hujus formulæ explanationem, aptiorisque ſubſtitutionem exhibet Dn. D. Pfaff. in notis ad D. Thumm. Synopſ. p. 229.

§. 24. Dub. XXIV. Formula Concordiæ

cum

cum Cyrillo p. 872. Liberationem ex Inferno factam aſſerere videtur, quia eum approbative citat. Sic etiam imperfectarum animarum purgationem, Auguſtino per purgatorium intellectam, p. 197. non improbavit.)

℞. Saltem de tenore ac nexu conſequentiæ, quam dubia modo poſita colligunt ac inferunt, aliquid hic præcipue notandum puto. Quod itaque ad p. 872. attinet, Symbolicæ allegationis ſcopus non eſt negligendus, qui h. l. ex coll. p. 870. ſ. Num. IV. eſt: ex Patrum Teſtimoniis monſtrare, quod Deitas in Chriſto nunc Majeſtatem, Potentiam & efficaciam exſerat in, cum & per humanitatem perſonaliter ſibi unitam. Et ad hunc finem verba Cyrilli quoque ex aliqua ſui parte faciunt, dum ait: Anima Chriſti unionem ſortita ad verbum, deſcendit in Infernum, Divina autem virtute & efficacia utens dixit compeditis: Egredimini. Quis non videt, quod hîc non ſit Form. Conc. ſcopus, de compeditorum ſolutione ac egreſſu agere, ſed tantum humanæ in Chriſto Naturæ cum Divina unitæ Virtutem ac Efficaciam, præcipue vero phraſin ſuam, dextrumque ac ſibi ὁμόψηφον phraſeos ſenſum adverſus eos, qui de horrendis ac novis Formulæ in Art. de Chriſto phraſibus tot querelas movebant &c. ex Antiquis Eccleſiæ Doctoribus demonſtrare? Unde non poteſt apodictice & ſimpliciter aſſeri, etiam ultimum ac id, quod Cyrillus interſperſit atque addidit, approbari, dum citatur, quod præcede-

cedebat, & ad idem unice reſpiciebatur. Præterea, ſi egreſſus ille, per Cyrilli mentem, compeditis in inferno à Chriſto injunctus & annunciatus ad 1. Petr. 3, 19. 20. (uti etiam verba: anima unionem ſortita ad τό: ζωοποιηθεὶς τῷ πνεύματι 1. Petr. 3, 18.) & Eph. 4, 9. forſan cuipiam collimare videatur, ex genuina horum locorum expoſitione etiam locus Cyrilli æſtimandus fuerit, atque exponi, corrigi, aſſumi, improbari vel approbari poterit ac debebit. Sed hæc inſtitutum meum non attingunt. Ad difficillimum tamen Petri locum non mea, ſed Theologorum Noſtratium cogitata apponam. D. Hutterus, quid ſibi probabile ſit, ita exhibet, in compendio excerptus: *Chriſtus*, i. e. ſecundum u-"tramque naturam; *carne*, i. e. tota natura "humana, λόγῳ unita, occiſus, *Spiritu*, i. e. "Divina virtute vivifica, vitæ reſtitutus; *abi-*"*ens*, i. e. peculiariter & ſingulariter ſe mani-"feſtans, *iis*, *qui in cuſtodia*, ſcil. ſunt, usque ad "diem noviſſimum, & tempore ſcriptæ Epi-"ſtolæ adhuc quoque fuerunt ἐν φυλακῇ, i. e. "non in carcere infernali, minime omnium in "fictitio Patrum Limbo, ſed in certo quodam "loco ſeu cœleſti quodam πȣ̃, in quo animæ "illæ defunctorum aſſervantur & cuſtodiuntur, "quia locus, ubi ſit, ignoro; interpretor au-"tem hoc loco φυλακὴν in partem bonam per "Tutationem, conſervationem. Πνεύμασι, "non animabus damnatorum, ſed fidelium, qui

qui in cœleſti illo πῦ ſeu cuſtodia expectant" reſurrectionem carnis. Α'πειθήσασι, imper-" ſuaſibilibus; poteſt enim fieri, ut fideles quo-" que ex infirmitate carnis non credant peculia-" ribus Dei comminationibus, quæ hujus vel" illius loci interitum & devaſtationem porten-" dunt, qui tamen propterea non ſunt ἄπιστοι," nec fidelium cœtui opponendi; intelligo h. l." per ἀπειθήσασι ejusmodi imperſuaſibiles, qui," ſeu ſecuritate aliqua, ſeu nimia confidentia" adducti, ſtatuebant: Deum non usque adeo" fore immiſericordem, ut homines & bruta" deleat; ac proin concionibus Noæ de inſtan-" ti diluvio fidem non habuerunt, donec tan-" dem ingruentibus aquis oppreſſi, in ipſo fi-" ne vitæ de hoc ſecuritatis peccato egerunt pœ-" nitentiam, & carne perierunt quidem, ſpi-" ritu autem vivunt Deo, quod de damnatis di-" ci nequit. Ε'κήρυξεν, prædicavit, h. e. vivum" ſeſe, tanquam redemptorem totius humani" generis manifeſtavit, ut, ſicut in his terris" Chriſtus poſt reſurrectionem primum mulie-" ri peccatrici Mariæ Magdalenæ apparuit; ita" in altera vita, ſeu in πῦ illo cœleſti, his quoque" peccatoribus primum ſeſe manifeſtare volue-" rit. Vel, uti ipſe Hutterus brevius ſe expli-" cuit: Chriſtus ſecundum humanam naturam" mortificatus eſt ex infirmitate; vivificatus au-" tem divina virtute; in hac etiam ſeſe manife-" ſtavit, & vivum oſtendit illis animabus, quæ" ſunt in divina conſervatione; & quæ olim"

"Noæ temporibus comminationibus de futu-"ro univerſali diluvio haud credebant, ac pro-"in ſecundũ carnem quidem in illo ipſo dilu-"vio perierunt, ſed ita, ut acta pœnitentia, vi-"verent Deo. D.Hutt. in Form. Conc. Explic. p. 991.--994. En! quid huic Theologo de loco Petrino probabiliter viſum ſit? Subjungam, quid D. Lucæ Oſiandro in Comment. ad 1. Petr. 3, 18.--20. qui ſic cenſet: "Textus "magnam obſcuritatem habet, unde accidit, "ut propemodum tot ſint ſententiæ, quot in-"terpretes. Simpliciſſimam Expoſitionem, "quæ ad verba Petri proxime mihi accedere "videtur, recitabo: Chriſtus mortificatus qui-"dem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo "etiam abiens, ſpiritibus in cuſtodia prædica-"vit, qui aliquando imperſuaſibiles erant, i. e. "qui ſibi perſuaderi non patiebantur, cum ſe-"mel expectabatur Dei longanimitas in diebus "Noæ, cum apparabatur arca, in qua paucæ, "h. e. octo animæ ſervatæ ſunt per aquam. Mi-"hi horum verborum ſententia hæc eſſe vide-"tur: Chriſtus mortuus in cruce, quoad ani-"mam acceſſit ad animas eorum, qui in di-"luvio ſuffocati ſunt; qui tunc, cum Nöe ar-"cam pararet, perſuaderi ſibi non patiebantur, "Deum adeo iraſci mundo, ut eum diluvio u-"niverſali perdere vellet, ſed ſperabant, Deum "tam fore longanimem, ut mundo parceret; "ita non agebant ſerio pœnitentiam, donec a-"quæ diluvii ingruerent, & ſibi moriendum "eſſe jam viderent, cum interim octo homi-

nes

nes in arca Noæ conſervarentur, nec a-"
quis diluvii, quibus vehebantur, ſuffocaren-"
tur. Quare Deus eos non quidem damna-"
vit, (quia non ſine pœnitentia deceſſerant)"
ſed tamen, quia 120. annos illis Dominus"
dederat ſpatium pœnitentiæ agendæ, & ipſi"
longo tempore viderant ædificari arcam, &"
nihilominus pias admonitiones Patriarchæ"
Noæ ſpreverant, placuit Domino, ut eo-"
rum animas non ſtatim in conſpectum ſuum"
admitteret, ſed alicubi, tanquam in cuſtodia,"
(non tamen in cruciatu) detineret, donec"
Chriſtus (poſtquam pro peccatis humani ge-"
neris ſatisfeciſſet) illis annunciaret, quod à"
Patre cœleſti in gratiam eſſent recepti, qui et"
iam eas animas in paradiſum tranſtulit. - Τὸ"
ἐκήρυξεν, prædicavit, ego de lætiſſima Evan-"
gelica prædicatione accipio. -- Liberum fuit"
Domino, animas illas in conſpectum ſuum"
admittere, vel aliquamdiu in ſuſpenſo (non"
tamen in deſperatione) detinere, ſive relin-"
quere. Et hoc unicum exemplum divinæ"
ſeveritatis in iſtis animabus non præſcribit"
communem regulam; quaſi etiam reliquæ a-"
nimæ pœnitentium peccatorum poſt mor-"
tem non ſtatim in Paradiſum admittantur;"
quia Scriptura de his ſolis & non de aliis ſic lo"
quitur, quod Chriſtus illis prædicarit, de re"
liquis omnibus accipienda ſunt hæc dicta:"
Hodie mecum eris in Paradiſo. Cupio diſ"
ſolvi, & eſſe cum Chriſto. Nec abſurdum"
eſt, quod anima Chriſti cum animabus illis"

"collocuta; Spiritus enim ſpiritui loqui poteſt "ſuo modo pro ratione ſpirituum, quemad-"modum Abraham cum epulone illo divite "poſt mortem collocutus eſt, Luc. 16. Et Lu-"therus, quamvis in Commentario ſuo ſuper "hanc Petri Epiſtolam, in eo, quem in Gene-"ſin edidit, aliam ſententiam huic præferre "videtur, tamen hanc non damnat, ſed in "medio relinquit. Neque ego ſuper ſenten-"tia mea cum quoquam contendam, ſed ſim-"pliciter recitare volui, quid mihi de hoc ob-"ſcuriſſimo Petri loco videatur; paratus, me-"liorem ſententiam, cum verbis Petri concor-"dantem, amplecti. Et libenter cum D. Lu-"thero (in c. 7. Geneſ.) agnoſco: non eſſe tur-"pe Theologo, quædam ignorare, arrogan-"tiam autem eſſe, velle videri, quod ſcias. Hæc Oſiander. Alii de prædicatione per Noam ſpiritibus corpore nunc exutis facta intelligunt, q. d. Chriſtum in ſuo ſpiritu hominibus Noæ tempore viventibus, nunc autem in ſtatu animæ ſeparato degentibus, concionatum fuiſſe. Alii aliter! Inter quos forſan & Cyrillus, qui locum Petrinum de compeditorum ex inferno eductione per citationem pag. 872. exponit. Sed id ipſum à Form. Conc. præciſe etiam approbari, ex nuda tali, ob alia verba facta, allegatione ſolide evinci non poteſt. Ad id, quod ex p. 197. objicitur, ſciendum etiam, quod Apologia tantum alleget, quid nonnulli Patres per mentionem purgatorii intellexerint, ut tanto felicius con-

tra Pontificios inde inferre poſſit ac diſputare, nequaquam vero de re ipſa mentem ſuam exponat. Unde denuo nexus conſequentiæ non cohæret. In univerſum autem notandæ regulæ in LL. Symbolicis obviæ, ſcilicet: *Ex Patrum verbis aut factis non ſunt exſtruendi articuli fidei. Patrum quoque magna diſſimilitudo eſt, Homines erant, labi ac decipi poterant.* p. 308. 274. f. *Ego & proximus* (ait Lutherus) *meus, & in ſumma omnes homines errare poſſunt & fallere; verbum autem Dei nec poteſt errare, nec fallere* p. 546. f. *Ideo advigilandum eſt nobis gnaviter, omni panoplia inſtructis, ne à Verbo Dei divelli & abſtrahi nos patiamur.* p. 547. f. Id Tu fac, ô cœleſtis Pater, in Chriſto JEſu, ut Tibi vere ſentiamus & vivamus, quicquid ſentimus ac vivimus, Amen.

§. 25. Sed finio! Quid ego, quid adverſarii de Libris Symbolicis cenſeant, & qualia paſſim obveniant dubia, ſatis mihi expoſuiſſe perſuadeo. Et ſic animo meo inſidet coram Domino. Nec ſecus locutus ſum, quam ſentio. Conſcientiam ut judicem & baſin poſt Scripturas adhibui. Fidem & charitatem duntaxat ambio, intendo. Animæ reparationem in Chriſto anhelo. Verbo Dei & ſcripto & Hypoſtatico innitor. Miſericordiæ Dei me, meaque, ut &, quod hic ſcripſi, commendo ac offero. Remittat quæ commiſi peccata etiam hic forſan infirmitatis, à malitiæ mihi cautum ivi. Revelet abſcondita! Amen. Faxit JEſus Chriſtus, ut gloriam Ipſius conſcientiæque meæ quietem ſemper etiam inde bo-

tineam & conſervem nunc & in ſecula, Amen, Amen, Benedic anima mea Domino Tuo. Amen.

COROLLARIUM SYMBOLICUM:

Quid Vera & Viva Fides ſit, ac operetur? ex pluribus LL. Symbolicor. Locis congeſtum.

Spiritus S. fidem efficit, ubi & quando viſum eſt Deo, in iis, qui audiunt Evangelium p. 11. Fides illa debet bonos fructus parere, & oportet B. O. mandata à Deo facere propter voluntatem Dei. pag. 11. Remiſſio peccatorum & juſtificatio fide apprehenditur. pag. 11. Fides concipitur ex Evangelio ſeu abſolutione, & credit, propter Chriſtum remitti peccata, & conſolatur conſcientiam, & ex terroribus liberat. Deinde ſequi debent Bona opera, quæ ſunt fructus pœnitentiæ. pag. 12. Utendum eſt Sacramentis, ita ut fides accedat, p. 13. Fides requiritur in uſu Sacramentorum, p. 13. Conſcientiæ piæ ac pavidæ TANTUM FIDE poſſunt reddi tranquillæ, cum certo ſtatuunt, quod propter Chriſtum habeant placatum Deum, p. 17. Tota fidei Doctrina ad illud certamen perterrefactæ conſcientiæ referenda eſt, nec ſine illo certamine intelligi poteſt; quare malè judicant de ea re homines imperiti & profani.

ſani. p. 17. Ideo magnopere opus eſt, Doctrinam de fide in Chriſtum tradere-- ne deſit conſolatio pavidis conſcientiis. p. 17. admonentur homines, quod Nomen fidei non ſignificet tantum hiſtoriæ notitiam, qualis eſt in impiis & Diabolo, ſed ſignificet fidem, quæ credit non tantum Hiſtoriam, ſed etiam effectum & cauſam finalem hiſtoriæ. p. 18. 69. Qui ſcit, ſe per Chriſtum habere gratiam, juſtitiam & remiſſionem peccatorum, & propitium patrem, p. 15. vere novit Deum, ſcit, ſe Ei curæ eſſe, invocat Eum. Denique non eſt ſine DEO, ſicut gentes. Nam Diaboli & impii non poſſunt hunc articulum credere, remiſſionem peccatorum. Auguſtinus etiam de fidei nomine hoc modo admonet lectorem & docet, in ſcripturis nomen fidei accipi non pro notitia, qualis eſt in impiis, ſed pro fiducia, quæ conſolatur & erigit perterrefactas mentes. Præterea docent noſtri, quod neceſſe ſit B. O. facere propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remiſſio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur Spiritus Sanctus, jam corda renovantur & induunt novos affectus, ut parere B. O. poſſint. Sic enim ait Ambroſius. Fides bonæ voluntatis & juſtæ actionis genitrix eſt. Nam humanæ vires ſine ſpiritu ſancto plenæ ſunt impiis affectibus & ſunt imbecilliores, quam ut bona opera poſſint efficere coram DEO. Adhæc ſunt in poteſtate diaboli, qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifeſta ſcelera. Quemad-

modum eſt videre in Philoſophis, qui & ipſi conati honeſte vivere, tamen non potuerunt efficere, ſed contaminati ſunt multis manifeſtis ſceleribus. Talis eſt imbecillitas hominis, cum eſt ſine fide & ſine Spiritu Sancto, & tantum humanis viribus ſe gubernat. p. 18. Fide doctrina eſt laudanda, quod oſtendit, quomodo B. O. facere poſſimus? Nam ſine fide nullo modo poteſt humana natura primi aut ſecundi præcepti opera facere. Sine fide non invocat DEUM, à DEO nihil expectat, non tolerat crucem, ſed quærit humana præſidia, confidit humanis præſidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana conſilia, cum abeſt fides & fiducia erga DEum. p. 19. Miſſa (cœna) inſtituta eſt, ut fides in iis, qui utuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Chriſtum, & erigat & conſoletur pavidam conſcientiam. Nam id eſt meminiſſe Chriſti beneficia, meminiſſe ac ſentire, quod vere exhibeantur nobis, p. 26. 27. Fides non affert ad DEum fiduciam propriorum meritorum, ſed tantum fiduciam promiſſionis ſuæ, promiſſæ miſericordiæ in Chriſto. Hæc igitur fides ſpecialis, qua credit unusquisque, ſibi remitti peccata propter Chriſtum, & DEum placatum & propitium eſſe propter Chriſtum, conſequitur remiſſionem peccatorum & juſtificat nos, & quia in pœnitentia, hoc eſt, in terroribus, conſolatur & erigit corda, regenerat nos, & adfert ſpiritum ſanctum ut deinde legem Dei facere poſſimus, videlicet diligere Deum, vere timere Deum, vere ſtatue-

ſtatuere, quod DEus exaudiat, obedire DEO, in omnibus afflictionibus mortificat concupiſcentiam... Fides eſt vera cognitio Chriſti, & utitur beneficiis Chriſti, & regenerat corda, & præcedit Legis impletionem, p. 68. Illa fides, quæ juſtificat, non eſt tantum notitia hiſtoriæ, ſed eſt aſſentiri promiſſioni Dei, p. 81. in qua gratis propter Chriſtum offertur remiſſio peccatorum, & ne quis ſuſpicetur, eſſe tantum notitiam, addimus amplius; eſt velle, & accipere oblatam promiſſionem remiſſionis peccatorum... Fides eſt λατρεία, accipit à DEO oblata beneficia. p. 68. 69. & hic cultus, (ut præcipuus & ſummus) hæc λατρεία in Prophetis & Pſalmis paſſim præcipuè laudatur. p. 70. 88. 126. Ne quis putet, nos de otioſa notitia hiſtoriæ loqui, pag. 71. Evangelium arguit omnes homines, quod ſint ſub peccato, quod omnes ſint rei æternæ iræ ac mortis, & offert propter Chriſtum remiſſionem peccatorum & juſtificationem, quæ fide accipitur; prædicatio pœnitentiæ, quæ arguit nos, perterrefacit conſcientias veris & ſeriis terroribus, ac pavoribus. p. 106. In his corda rurſus debent concipere conſolationem. Id fit, ſi credant promiſſioni Chriſti, quod propter Ipſum habeamus remiſſionem peccatorum, juſtificationem & vivificationem. Nam illa conſolatio eſt nova & ſpiritualis vita. .. De tali fide loquimur, quæ non eſt otioſa cogitatio, ſed quæ à morte liberat, & novam vitam in cordibus parit, & eſt opus Spiritus Sancti. Non ſtat cum peccato mortali, ſed tantiſper, dum ad-

 eſt,

eſt, bonos fructus parit. p. 71. Dilectio, virtutes & opera fidem ſequi debent. pag. 73. 81. 87. In remiſſione peccatorum, quam ſola fides apprehendit, oportet in cordibus vinci terrores peccati & mortis æternæ. p. 74. 87. Chriſtus NON apprehenditur tanquam mediator, NISI FIDE. p. 74. 75. tantum fide. p. 16. 17. 18. 76. 96. 81. 92. 108. 113. 115. 122. 129. 140. 172. 173. 177. 206. 265. 687. Non patiantur ſe bonæ mentes depelli ab hac ſententia, quod tantum fide accipiamus remiſſionem propter Chriſtum. In hac habent certam & firmam conſolationem adverſus peccati terrores, & adverſus æternam mortem, & adverſus omnes portas inferorum. p. 76. 82. 89. Fides eſt ipſa juſtitia, qua coram Deo juſti reputamur. - - Quia ſentit, quod Chriſtus ſit nobis factus à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio. p. 76. Fides eſt illa res, quam DEus pronunciat eſſe juſtitiam. p. 77. Fides illa, de qua loquuntur Apoſtoli, v. c. Actor. 15, 9. non eſt otioſa notitia, ſed res accipiens Spiritum Sanctum, & juſtificans nos. p. 79. 82. 89. 113. 115. 122. Fides vivificat, quia parit in corde pacem, & gaudium & vitam æternam. p. 79. Fides liberat per ſanguinem Chriſti, p. 80. Fides non poteſt ſtare cum peccato mortali, ſed eſt opus Spiritus Sancti, quo liberamur à morte, quo eriguntur & vivificantur perterrefactæ mentes. Et quia ſola hæc (decies repetitur h. l. in paucis lineis demonſtratio ac determinatio per pronomen demonſtra-

ſtrativum: Hæc, hujus, hac, hac, hæc, hac, hac, hac, hanc, hac,) fides accipit remiſſionem peccatorum, & reddit nos acceptos Deo, & affert Spiritum Sanctum, poteſt quoque vocari gratia gratum faciens. p. 82. Quia fides affert Spiritum ſanctum, & parit novam vitam in cordibus, neceſſe eſt, quod pariat ſpirituales motus in cordibus. p. 83. Spiritus Sanctus accipitur fide, p. 83. 84. Paulus docet, velamen, quo facies Moſis tecta eſt, non poſſe tolli niſi fide in Chriſtum. p. 84. Fides illa, de qua loquimur, exiſtit in pœnitentia, h. e. concipitur in terroribus Conſcientiæ, quæ ſentit iram Dei adverſus noſtra peccata, & quærit remiſſionem peccatorum, & liberat à peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides creſcere & confirmari. Quare non poteſt exiſtere in his, qui ſecundum carnem vivunt, qui delectantur cupiditatibus ſuis, & obtemperant eis. Rom. 8. 1, 12. Quare fides illa, quæ accipit remiſſionem peccatorum in corde perterrefacto & fugiente peccatum, non manet in his, qui obtemperant cupiditatibus, nec exiſtit cum mortali peccato. p. 86. Fide renati concipiunt Spiritum Sanctum, & habent motus conſentientes Legi Dei. p. 92. Chriſtus colitur fide, exercitiis & ſignis fidei. p. 89. Fidelis, pius fidem exercet, & fidem confitetur etiam coram aliis, & alios ad credendum ſuo teſtimonio invitat. p. 97. fidemque exercet in ſignis & teſtimoniis divinæ promiſſionis, ſeu in bonis operibus. p. 116. 117. 118.

118. Fides, quia filios Dei facit, facit & cohæredes. p. 96. Fides oſtendit præſentiam Dei, poſtquam conſtituit, quod Deus gratis ignoſcat & exaudiat. p. 98. Illa virtus juſtificat, quæ apprehendit Chriſtum, quæ communicat nobis Chriſti merita, quâ accipimus gratiam & pacem à Deo. Hæc autem virtus fides eſt. Nam fides non tantum notitia eſt, ſed multo magis, velle accipere ſive apprehendere ea, quæ in promiſſione de Chriſto offeruntur. Eſt autem & hæc obedientia erga Deum, velle accipere oblatam promiſſionem, λατρεία, p. 103. Fides in Chriſtum liberat nos à confuſione, cum Deus judicat & arguit nos in pavoribus, quia ſcimus propter Chriſtum nobis ignoſci. p. 106. Otioſam nos non appellamus fidem, qualis eſt etiam in Diabolis; ſed loquimur de fide, quæ reſiſtit terroribus conſcientiæ, quæ erigit & conſolatur perterrefacta corda. Talis fides neque facilis res eſt, ut ſomniant, neque humana potentia, ſed divina potentia, qua vivificamur, qua Diabolũ & mortem vincimus. p. 108. 109. Sicut Paulus ad Coloſſ. ait, c. 2, 18. quod fides ſit efficax per potentiam Dei, & vincat mortem. In quo reſuſcitati eſtis per fidem potentiæ Dei. Hæc fides, cum ſit nova vita, neceſſario parit novos motus & opera; Ideo recte Jacobus negat, nos tali fide juſtificari, quæ eſt ſine operibus, p. 108. 109. Bona opera in ſanctis ſunt juſtitiæ, & placent propter fidem; hæc tantum opera prædicat Jacobus,

quæ

quæ fides efficit. p. 109. Fides in corde eſt juſtitia, p. 112. Non apprehendunt promisſionem, niſi qui vere credunt, & fide peccatum vincunt & mortem. Hi renati dignos fructus parere debent, p. 112. 113. Fidem & fructus complecti debemus, p. 117. Fides, quæ accipit remiſſionem peccatorum, habet ſua exercitia, ſigna & teſtimonia, vincit mortem, cum ſe magis magisque exercet, & illis exercitiis vires accipit. pag. 117. Omnibus diebus vitæ ſuæ Deum in mente habere; Omni tempore Deum benedicere, & ab eo petere, ut vias ſuas dirigat; Hoc proprie fidei eſt illius, de qua nos loquimur, quæ ſentit, ſe habere Deum placatum propter ipſius miſericordiam, & vult à Deo α) juſtificari, β) ſanctificari, & γ) gubernari. p. 117. Fides in Chriſtum eſt Fides remiſſionis peccatorum, fides, quæ verè & ex corde aſſentitur promiſſioni gratiæ. Hæc fides non fit ſine magno agone in cordibus humanis. Et Homines ſani facile judicare poſſunt, Illam fidem, quæ credit, nos à Deo reſpici, nobis ignoſci, nos exaudiri, rem eſſe ſupra Naturam. Nam humanus animus per ſeſe nihil tale de Deo ſtatuit; itaque neque in impiis, neque in diabolis hæc fides eſt, de qua loquimur, p. 124. Fides eſt non tantum notitia in intellectu, p. 131. ſed etiam fiducia in voluntate, h. e. eſt velle & accipere hoc, quod in promisſione offertur, videlicet, reconciliationem & remisſionem peccatorum. -- Per fidem aliena juſtitia, videlicet

videlicet Chriſti, communicatur nobis & donatur. Ideo fides eſt juſtitia in nobis imputative, i. e. eſt id, quo efficimur accepti Deo propter imputationem & ordinationem Dei. Fides rectè eſt juſtitia, quia eſt obedientia erga Evangelium, & propter hanc placent B. O. ſive obedientia erga Legem, p. 125. Hæc fides reddit Deo honorem, reddit Deo, quod ſuum eſt, per hoc, quod obedit accipiens promisſiones. p. 126. Fides miſericordiam intuens erigit & conſolatur nos, p. 129. Fides promisſionis parit certam ſpem, quia nititur verbo & mandato Dei. p. 133. Fides hæc, de qua loquimur, exiſtit in pœnitentia. Et inter B. O. inter tentationes & inter pericula, confirmari & creſcere debet, ut ſubinde certius apud nos ſtatuamus, quod Deus propter Chriſtum reſpiciat nos, ignoſcat nobis, exaudiat nos. Hæc non diſcuntur ſine magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit conſcientia, quoties ſollicitat ad deſperationem, cum oſtendit aut vetera peccata aut nova, aut immunditiem Naturæ? Hoc chirographum non deletur ſine magno agone, ut teſtatur experientia; quam difficilis res ſit fides; Et dum inter terrores erigimur, & conſolationem concipimus, ſimul creſcunt alii motus ſpirituales, Notitia Dei, timor Dei, ſpes, Dilectio Dei, & regeneramur ad agnitionem Dei, & intuentes gloriam Dei transformamur in eandem imaginem, i. e. concipimus veram notitiam Dei, ut vere timeamus Eum, vere confidamus, nos reſpici, nos

nos exaudiri. Hæc regeneratio eſt quaſi inchoatio æternæ vitæ, ut Paulus ait: Si Chriſtus in vobis eſt, ſpiritus vivit; corpus autem mortuum eſt, &c. & ſuperinduemur, ſi tamen induti, non nudi reperiemur. Ex his judicare candidus Lector poteſt, nos maxime requirere B. O. ſiquidem hanc fidem docemus in pœnitentia exiſtere, & debere ſubinde creſcere in pœnitentia, & in his rebus perfectionem Chriſtianam & ſpiritualem ponimus, ſi ſimul creſcant pœnitentia, & fides in pœnitentia. p. 134. Cum fide eriguntur pavidæ conſcientiæ & ſentiunt, peccata noſtra deleta eſſe morte Chriſti, & DEum nobis reconciliatum eſſe, propter paſſionem Chriſti, tum, tum vero prodeſt nobis paſſio Chriſti.-- Qui corrumpunt ſententias de juſtitia fidei, intelligunt fidem tantum notitiam hiſtoriæ, ſive Dogmatum; non intelligunt, hanc virtutem eſſe, quæ apprehendit promisſionem gratiæ & juſtitiæ, quæ vivificat corda in terroribus peccati & mortis, p. 140. Firma & efficax fides conſequitur vitam æternam, p. 140. Non eſt firma fides, quæ non oſtendit ſe in confesſione. p. 140. Conf. 230. princ. Fides in pœnitentia apprehendit promisſionem gratiæ, & vere vivificat perterritam mentem, ac ſtatuit, quod Deus ſit nobis placatus ac propitius propter Chriſtum. Et hac fide, ait Petrus, nos cuſtodiri ad ſalutem, quæ revelabitur. Hujus fidei cognitio Chriſtianis neceſſaria eſt, & uberrimam affert piis conſcientiis conſolationem in omni-

omnibus afflictionibus, & Officium Chriſti nobis oſtendit. p. 141. Sine ſpirituali unitate non poteſt exiſtere fides in corde, ſive juſtitia cordis coram Deo, p. 151. Fidei juſtitia, non eſt alligata certis humanis Traditionibus, ſicut juſtitia Legis erat alligata Moſaicis Ceremoniis, quia illa juſtitia cordis eſt res vivificans corda. Ad hanc vivificationem nihil conducunt humanæ Traditiones, nec ſunt effectus Spiritus Sancti, p. 151. 153. Imperiti exiſtimant, fidem, ſive juſtitiam cordis, coram Deo non poſſe exiſtere ſine obſervationibus externis. p. 151. 152. Recta fide charitateque ſincera Chriſto ſpiritualiter conjungimur. p. 157. Fides erigit, ſuſtentat, & vivificat contritos. p. 166. Hæc Fides conſequitur remisſionem peccatorum. Hæc Fides juſtificat coram Deo.-- Hæc Fides accedit ad contritionem apprehendens remisſionem peccatorum, donatam propter Chriſtum. p. 166. Et hæc fides paulatim creſcit, & per omnem vitam luctatur cum peccato, ut vincat peccatum & mortem. -- Fides conſolatur & ſuſtentat pavidum cor, p. 167. (p. 166. 167. Tò demonſtrativum: Hæc, ſepties inculcatum, ut p. 82. 172.) Hæc fides in tentationibus multipliciter alitur per Evangelii ſententias, & per uſum Sacramentorum, ita Fides concipitur & confirmatur per abſolutionem ſive ſacramentum pœnitentiæ, per auditum Evangelii, per uſum ſacramentorum, ne ſuccumbat, dum luctatur cum terroribus peccati & mor-

mortis. p. 167. cum credimus, vivificantur corda Spiritu Sancto per verbum Chriſti. p. 168. Credere Evangelio, non eſt illa generalis fides, quam habent & Diaboli; ſed proprie eſt, credere remiſſionem peccatorum propter Chriſtum donatam. p. 68. 168. 172. 175. 203. Sola fides vivificat. p. 169. Fides eſt nova illa ſententia, quæ abolet priorem ſententiam (ſententiam Legis, quam ſerio contriti vident & legunt in corde ſcriptam, in veris doloribus ac terroribus cernitur hæc ſententia; eſt igitur chirographum, Coloſſ. 2, 14. ipſa contritio & conſcientia arguens & condemnans nos; delere Chirographum, eſt tollere hanc ſententiam, qua pronunciamus, fore, ut damnemur, & ſententiam inſculpere, quâ ſentiamus, nos liberatos eſſe ab illa condemnatione) & reddit pacem & vitam cordi. p. 169. Fides, quam in pœnitentia requirimus, & quam prædicat Evangelium, magis conſpici, conſ. p. 179. & magis intelligi poteſt, quid ſit, cum opponitur contritioni & mortificationi, ſignificat autem hæc veros ac ſerios terrores, quales ſunt morientium, quos ſuſtinere Natura non poſſet, niſi erigeretur fide. p. 169. 171. 71. 165. 192. Hæc fides ita ſequitur terrores, ut vincat eos, & reddat pacatam conſcientiam. Huic fidei tribuimus, quod juſtificet & regeneret, dum ex terroribus liberat, & pacem, gaudium, & novam vitam parit. Hanc fidem defendimus, verè eſſe neceſſariam ad remisſionem peccatorum. p. 172. Fide corda erigun-

 tur

tur & fiunt tranquilla per Spiritum Sanctum p. 175. Vera fides non eſt ingrata Deo, nec contemnit mandata Dei. p. 188. Sicut ira Dei fide in Chriſtum vincitur, ita vincitur mors fide in Chriſtum. pag. 192. Per fidem in Chriſtum in remiſſione culpæ liberatur cor ab ira Dei & à morte æterna. p. 192. Fides juſtificat & conſolatur pia corda. p. 199. Fides debet in uſu Sacramentorum accedere. p. 203. Fides Sacramenti, non Sacramentum, juſtificat. p. 204. Hanc fidem, quæ de voluntate Dei ſentiat, & verè ſtatuat, ſe reſpici & exaudiri à Deo, hanc inquam fidem, difficile eſt & ſanctis retinere, tantum abeſt, ut ſit in impiis; concipitur autem, cum corda perterrefacta Evangelium audiunt, & conſolationem concipiunt. p. 219. Nullam habebunt ſatis firmam conſolationem conſcientiæ Piorum adverſus terrores peccati & mortis, & adverſus Diabolum, ſollicitantem ad deſperationem, ſi non ſciant, ſe debere ſtatuere, quod gratis propter Chriſtum habeant remiſſionem peccatorum. Hæc fides ſuſtentat & vivificat corda in illo aſperrimo certamine deſperationis. pag. 221. Dona vocationis divinæ retinentur fide, & fides non manet in his, qui amittunt Spiritum Sanctum, qui abjiciunt pœnitentiam, fides enim exiſtit in pœnitentia. Pag. 222. In ſingulis hominibus fidem ſequi debet opus certæ vocationis p. 242. Fide oportet vinci terrores peccati & mortis, cum erigimus corda cognitione Chriſti, & ſentimus, nobis

nobis ignoſci propter Chriſtum, ac donari merita & juſtitiam Chriſti. p. 252. Fides exercetur luctans cum deſperatione p. 262. & hic eſt verus cultus p. 349. Cultus Dei collocandus eſt in fide, in certaminibus fidei. p. 263. Fides, quid ſit, pauci intelligunt p. 267. Fides erigit contritas mentes, vivificat perterrefacta corda. p. 268. Fides, quæ agnoſcit miſericordiam, vivificat. p. 268. Paulus non tribuit fidem his, qui ſunt in peccato mortali. p. 291. Si peccatum facit, quod vult, certe Spiritus Sanctus & fides amittuntur, nec ſimul adſunt p. 328. Fides nulli humanæ ſapientiæ comprehenſibilis eſt, ſed à ſolo Spiritu Sancto tradenda & docenda eſt. p. 503. Fides neceſſario aliquid habet, quod credat, h. e. cui innitatur, & quâ re ſuffulta perſiſtat. p. 540. Jam ita irrevocabiliter decretum eſt, quicquid fides non eſt, illud ad conſequendam ſalutem nihil profuturum, neque tantillum conſecuturum, p. 541. Dei opera ſalutifera ſunt, & ad ſalutem conſequendam neceſſaria, neque excludunt, ſed requirunt fidem, citra quam comprehendi non poſſent. p. 541. Fidem unice urgemus & inculcamus, ut quæ tam eſt neceſſaria, ut ſine illa nihil quicquam poſſimus apprehendere aut conſequi. p. 542. 543. pr. 558. ante med. & fin. 559. prin. abſente fide Baptiſmus nudum ac inefficax ſignum tantummodo permanet. p. 549. Credimus, docemus, & confitemur, fidem juſtificantem non eſſe nudam notitiam hiſtoriæ de Chriſto, ſed in-

gens atque tale DEI Donum, quo Chriſtum redemptorem noſtrum in verbo Evangelii recte agnoſcimus, Ipſique confidimus. p. 585. item credimus, docemus & confitemur, etſi antecedens contritio & ſubſequens nova obedientia ad articulum juſtificationis coram Deo non pertinent, non tamen talem fidem juſtificantem eſſe fingendam, quæ una cum malo propoſito, peccandi videlicet, & contra conſcientiam agendi, eſſe & ſtare poſſit. Sed poſtquam homo per fidem eſt juſtificatus, tum veram illam & vivam fidem eſſe per Charitatem efficacem, & B. O. ſemper fidem juſtificantem ſequi, & una cum ea, ſi modo vera & viva fides eſt, certiſſime deprehendi, Fides enim vera nunquam ſola eſt, quin Charitatem & ſpem ſemper ſecum habeat. p. 586. Bona Opera veram fidem, ſi modo ea non ſit mortua, ſed viva fides, certiſſime atque indubitato ſequuntur, tanquam fructus bonæ arboris. p. 589. Fides unicum eſt medium, ac inſtrumentum illud, quo bona nobis in promiſſione Evangelii per Spiritum Sanctum oblata apprehendimus, accipimus, nobisque applicamus; Ea fides Donum Dei eſt. p. 684. 689. 691. f. 692. 694. pr. 707. Vera & ſalvans fides in iis non eſt, qui contritione carent, & propoſitum in peccatis pergendi & perſeverandi habent. Vera enim contritio præcedit, & fides juſtificans in iis eſt, qui vere, non ficte pœnitentiam agunt, & charitas fructus eſt, qui veram fidem certiſſimè & neceſſario ſequi-

tur;

tur; qui enim non diligit, de eo recte judicari poteſt, quod non ſit juſtificatus, ſed quod adhuc in morte detineatur, aut rurſus juſtitiam fidei amiſerit, p. 688. B. O. non præcedunt fidem; & ſanctificatio non præcedit juſtificationem. Sed primum in converſione per Spiritum Sanctum fides ex auditu Evangelii in nobis accenditur; illa vero apprehendit Gratiam Dei in Chriſto, qua Perſona juſtificatur, cum vero Perſona jam eſt juſtificata, tum etiam per Spiritum Sanctum renovatur & ſanctificatur; ex ea vero renovatione & juſtificatione deinceps fructus, h. e. B. O. ſequuntur. Et hæc non ita divelluntur, quaſi vera fides aliquando & aliquandiu ſtare poſſit cum malo propoſito, ſed ordine cauſarum & affectuum antecedentium & conſequentium ita diſtribuuntur. Manet enim, quod Lutherus recte dicit: bene conveniunt & ſunt connexa inſeparabiliter, fides ET opera; ſed ſola fides eſt, quæ apprehendit benedictionem ſine operibus, & tamen nunquam eſt ſola. p. 692. Multi torpentes & ſecuri Chriſtiani ſibi opinionem & perſuaſionem quandam vanam loco fidei imaginantur, cum tamen veram fidem & vivam non habeant. p. 693. 702. Mortua & ſimulata fides eſt, quam non omnis generis B. O. & fructus Spiritus ſequuntur. p. 693. Non juſtificamur tali fide, quæ eſt ſine operibus, h. e. quæ eſt mortua. ib. & pag. 109. Fides non eſt talis in obedientiam Chriſti fiducia, quæ exiſtere & manere poſſit in ejusmodi homine,

qui non vere pœnitentiam habet, & qui charitate vacuus eſt, & in peccatis contra conſcientiam perſeverat. p. 698. 702. Eorum operum, quæ reverà bona ſunt, & Deo placent, quæ etiam tum in hoc, tum in futuro ſeculo vult remunerari, mater & fons eſt ipſa fides, unde & veri fructus fidei, ſicut & fructus Spiritus à D. Paulo appellantur. Fides enim (quemadmodum Lutherus in præfatione Epiſt. Pauli ad Rom. ſcribit) eſt divinum quoddam opus in nobis, quod nos immutat, ex Deo regenerat, veterem Adamum mortificat, & ex nobis plane alios homines (in corde, animo, & omnibus viribus noſtris) facit, & Spiritum Sanctum nobis confert. Et eſt fides illa quiddam vivum & efficax, potens; Ita ut fieri non poſſit, quin ſemper bona operetur. Neque fides quærit demum, an bona opera ſint facienda, ſed priusquam de ea re inquiratur, jam multa B. O. efficit, & ſemper in agendo eſt occupata. Qui vero non ad hunc modum bene operatur, is homo vera fide caret; & ubi ſit fides, ubi B. O. quaſi cœcus palpando quæritat, neque tamen, quid fides aut B. O. ſint, novit, interim tamen multa inepte de fide & B. O. garrit & nugatur. Fides juſtificans eſt viva & ſolida fiducia in gratiam ſeu clementiam Dei, adeo certa, ut homo millies mortem oppetere, quam eam fiduciam ſibi eripi pateretur. Et hæc fiducia atque agnitio divinæ gratiæ & clementiæ lætos, animoſos, alacres efficit, cum erga DEum, tum erga omnes creaturas; quam

læti-

lætitiam & alacritatem Spiritus Sanctus excitat per fidem. Inde homo ſine ulla coactione promptus & alacris redditur, ut OMNIBUS benefaciat, omnibus inſerviat, omnia toleret, idque in honorem & Laudem Dei, pro ea gratia, qua Dominus eum eſt proſecutus. Itaque impoſſibile eſt, B. O. à fide vera ſeparare, quemadmodum calor urens & lux ab igne ſeparari non poteſt. p. 701. Securitatis Epicurææ opinione multi fidem mortuam, aut perſuaſionem quandam vanam, quæ ſine pœnitentia & bonis operibus eſt, pro vera fide falſo habent; quaſi ſcilicet in uno eodem corde ſimul ſtare poſſint vera fides, & malum propoſitum in peccatis perſeverandi & progrediendi, quod tamen prorſus eſt impoſſibile; Aut quaſi aliquis veram fidem, juſtitiam & ſalutem habere ac retinere valeat, etiamſi arbor putrida & infrugifera ſit maneatque, neque ullos bonos fructus ferat, imo quamvis in peccatis contra conſcientiam perſeveret, aut rurſus deſtinata malitia in ſcelera priora relabatur. Hæc falſa ac impia ſunt pag. 702. Fides non manet in his, qui pravam vitam agunt, & amittunt Spiritum Sanctum, & abjiciunt pœnitentiam. pag. 706. Per fidem in ſpiritu vere credentes Chriſto Domino incorporantur, & revera ſpiritualia membra corporis Ejus fiunt. p. 755.

FINIS.

)o(

INDEX
Realis Alphabeticus.

A.

ABſolutio, an & quomodo dicatur Juris divini, p. 220. *An proprie Sacramentum ſit? p.* 221.
Alberti, D. refutavit Anti-Auguſtanam Confeſſion. 11
Ambroſius non eſt Autor Commentariorum in Epiſtolas Paulinas, 80. *an in Auguſtana Confeſſione falſo citetur?* 80. *an ſibi contradicat?* 101.
Anabaptiſmus, ei non favet Lutherus, 289.
Anabaptiſtæ, an in Eccleſiis noſtris nulli extiterint? 209
Annus Chriſtogonias, 317.
Anti-AuguſtanaConfeſſio, à quo ſcripta & refutata? 11
Apologia non eſt hypocritica Proteſtatio, 34. *Eſt SymbolumEccleſiæ noſtræ*, 24, 35. *an habeat phraſes ambiguas, & ScripturæS. diverſas interpretationes?* 66. 144. *ſeq.* 180. *ſq.* 207. 223, 233. 236. *quomodo Legis impletionem per Spiritum S. urgeat?* 67. *ſq. an remiſſionem peccatorum & juſtificationem ut res diverſas ponat?* 70. *an verum ſit, quod Pontificiis exprobrat?* 132. *ſq. de qua fide loquatur*, 131. *quale judicium de Ariſtotele ferat?* 134. *an hallucinetur ac deficiat?* 138 *non dicit, præcepta ſecundæTabulæ continere tantum Juſtitiam civilem, & externa politica opera*, 138. *ſq. quid doceat de Juſtificatione?* 163. *qua ratione bonis operibus meritum tribuat?* 174. *an Transſubſtantiationem probet?* 217. *non in totum improbat diſciplinam Eccleſiaſticam*, 224. *quantum Juriſdictionis Eccleſiaſticæ in Lutheranos Paſtores Pontificiis Epiſcopis concedat?* 225. *quomodo librum Maccabæorum poſteriorem Scripturæ S. annumeret?* 233.

233. an Carolo V. abblandiatur? 234. unde nomen Miſſæ deducat? 242. an orationem pro mortuis approbet? 246.

Ariſtoteles, de eo judicium fert Apologia, 134. pulcre examinatur.

Articuli Smalcaldici, an verum ſit, quod Pontificiis exprobrant? 132. de qua fide loquantur? 131. an orationem pro mortuis ut non inutilem approbent? 246. Ejus dubia percenſentur & ſolvuntur, 262. ſq. an Communionem ſui ipſius improbent? 262. an Lutherus prægrandem pſeudermeniam committat? 264.

Auguſtana Confeſſio (conf. etiam Tit. Libri Symbolici) Ejus mutatio fuit res aperti facti, 27. Eſt Symbolum Eccleſiæ noſtræ, 24. 35. in quonam exemplaria diſcrepent? 36. in ea dicta Lutheri & Patrum non narrative tantum, ſed & probative adducuntur, 16. 17. 45. ſibi non contrariatur, 76. 90. 98. ſq. num in ea Ambroſius & Auguſtinus falsò citentur? 80. 91. 93. 101. Eccleſiam inviſibilem cum viſibili non confundit, 82. Infantibus ἀβαπτίστοις non ſimpliciter ſalutem denegat, 88. non derivat ortum matrimonii ex peccato, 95. an verum ſit, quod Pontificiis exprobrat? 132. de qua fide loquatur? 131.

Auguſtinus, an in A. C. falſo citetur, & Ei contrarius ſit, 91. 92. 93.

B.

Baptiſmus, quomodo dicatur bonum opus? 87. parvulorum eſt Deo gratus, 210. in eo Lutherus urget immerſionem, 283. confert fidem, 290. an abſente fide nudum & inefficax ſignum ſit? 292. eſt res pretioſiſſima, 293. ſq.

Bellarminus accuſat Libros Symbolicos, 9.

Bona Opera, quomodo iis Apologia meritum tribuat? 174. an & quomodo ſalvent? 180. ſq. quomodo ſint facien-

facienda, 326. *ſq. non ſunt ſeparanda à fide*, 343.

C.

Calovius, *D. Abrah. defendit Aug. Conf. & ejus ſocios*, 10.
Catechiſmus Lutheri. Major & Minor, ſibi non contradicit, 25. 286, 287, 302. *Major, an extet truncatus in Form. Conc.* 26, 37. *non derivat ortum matrimonii ex peccato*, 95. *ex iis dubia animadverſa ſolvuntur*, 282. *ſq.*
Calviniani, quid Libris Symbolicis objiciant? 11. *eos refutavit B. Hutterus*, 12.
Carolus V. ei abblanditur Apologia, 234. *laudatur*, 234
Chriſtus, de eo dura occurrunt formulæ in Form. Conc. 315
Clemens VII, p. 122.
Cœna Domini, *vid. Tit. Sacra Cœna.*
Communio, utrum ſingulis Dominicis ea uti liceat? 109. *an ſui ipſius Articuli Smalcaldici improbent*, 262.
Concordia, quomodo impediatur? 15. *maxime neceſſaria in Eccleſia*, 118.
Condemnandi voce exaſperantur animi, 15. *quomodo accipienda*, 44.
Conjugium culpatur & defenditur, 236.
Corpus Chriſti, quomodo à Luthero infrugiferum dicatur? 301. *an credentes æque ac non credentes verum accipiant*, 302.
Crucis ſignum à Luthero injungitur, 284.

D.

Decalogus, an ex eo accipiatur Spiritus S. 273. *ſeq. ſumitur pro tota ſacra ſcriptura*, 274. *ſeq.*
Deus, quomodo impium juſtificet? 148. *an de eo Lutherus nimis anthropomorphicῶs loquatur*, 301. *non eſt Autor pœnæ & damnationis*, 318. *peccata peccatis punit*, p. *ead.*
Dicta legalia, an in Apologia contra textuum ſcopum exponantur, 167.

Dilectio in Eccleſia maxime exiſtit, 118. *tegit delicta*, 120
Diſciplinam Eccleſiaſticam antiquatam non prorſus rejicit Apologia, 224.
Doctores impii, an ſint deſerendi? 207.
Dona creata non apponuntur Eſſentiæ Dei, 316.

E.

Ἐγκλήματα *Jeſuitarum in Aug. Conf. edita*, 10.
Eccleſia inviſibilis in Aug. Conf. cum viſibili non confunditur, 82. *quomodo ſpectetur*, 84. *Vera quænam*, 85. *dicitur congregatio ex meris Sanctis*, 289.
Eccleſia primitiva oravit pro mortuis, 246.
Enthuſiaſtæ, an omnia media rejecerint, 308.
Epiſcopis an Apologia Pontificiis Jurisdictionem Eccleſiaſticam in Lutheranos Paſtores concedat? 225.
Evangelium, quomodo accipiatur in Auguſt. Conf. 90. *quomodo dicatur concio pœnitentiæ?* 144.
Excommunicatio, ejus proceſſus non improbatur à Formula Concordiæ, 306.

F.

Fides, eam Spiritus S. efficit, 76. *per eam datur Spiritus S. ibid. an pro ejus juſtitia Auguſtinus recte citetur?* 93. *de qua Apologia loquatur?* 131. 141. *ſola juſtificat*, 144, *ſq.* 155. *quæ juſtificet?* 156. 180. 332. 342. *ad eam nemo cogi debet*, 282. *quid vera ac viva ſit ac operetur?* 326. 342. *quæ accipit remiſſionem, habet ſua exercitia*, 331, 334. *eſt juſtitia in nobis*, 334. *eſt ſolum medium apprehenſivum*, 340.
Flacianiſmus, an ei faveat Lutherus? 272.
Formula Concordiæ, an in ea nonnulla ſint omiſſa? 15. 306. *Ei nonnulla objici poſſunt*, 8. *multa adſcribit Auguſtanæ Confesſioni, quæ in hac non habentur*, 25. *multa rejicit, quæ adhuc ſunt dubia, ibid. in hodierna nonnulla exulant*, 26. *reſpondet Adverſariis ad ſuas objectiones*, 27. *Ejus ſcopus principalis, deciſio controver-*

troverſiarum, 28. non eſt liber ſaltem pro Saxonia, 30. ſatis examinum & Cenſurarum eſt expertus, 32. 51. non datur pro adæquato omnium articulorum ſyſtemate, 32. legis impletionem per Spiritum S. urget, 67. dubia ex ea collecta diſcutiuntur, 304. an in definienda lege aliquid omiſerit, 306. non improbat proceſſum Excommunicationis, 306. qua ratione Moſi veram legis explicationem deneget? 311. inverſo ordine recenſet duo poſteriora Cõmunicationis genera, 315. an liberationem ex inferno aſſerat? 318, ſq.

H.

Hieronymus examinatur, 300.

Homo mendaciorum pelagus, 130. quomodo juſtificetur, 147. ſq.

Hutterus refutat Calvinianos, 12.

I.

Jeſuitarum ἐγκλήματα in A. C. p. 10.

Impius, quomodo juſtificetur? 147.

Infantes, an ἀβαπτίστοις Aug. Conf. ſalutem ſimpliciter deneget? 88.

Jurisdictio Eccleſiaſtica, an aliquam Pontificii in Lutheranos Paſtores habeant? 225.

Juſtificari, quid ſignificet in Apologia? 144. 164.

Juſtificatio & Remiſsio peccatorum, an Apologia ut duas res diverſas ponat? 70. in hac doctrina nobis conformis eſt Auguſtinus, 94. quid de ea Apologia doceat? 163. differt à Renovatione, 278.

Juſtinus, p. 313.

Juſtitia fidei, an pro ea Auguſtinus recte citetur? 93.

L.

Lex, quomodo etiam per externam diſciplinam Pædagogus in Chriſtum dicatur? 45. Ejus impletio, quomodo

modo

modo per Spiritum S. urgeatur? 67. *an ei Lutherus adſcribat promiſſionem gratiæ?* 270. *quomodo impleatur*, 286.

Liber Concordiæ, ejus Autores quinam? 15.

Liber Maccabæorum poſterior, quomodo Scripturæ S. annumeretur? 233.

Libri Hypognoſticῶn, an ſint Auguſtini. 91.

Libri Symbolici, de eorum ſenſu genuino, 1. *non ſunt norma primaria, ſed ſecundaria*, 3. *ſtultitiarum, errorum, & mendaciorum accuſantur*, 9. *non generant fidem*, 4. *de eorum ſubſcriptione*, 4. 53. *quanam Calviniani iis objiciant?* 11. *multa olim in illis ſunt omiſſa*, 15. *ſunt Scripta humana, non* θεόπνευστα, 53. *nocte dieque legendi, ibid. à variis vindicantur dubiis*, 57. *ſq. num eorum præfatio generalis ab Electoribus, an vero Theologis ſit ſcripta?* 59. *an errores habeant?* 64. *non ſunt Scripturæ S. exæquandi*, 65. *non derivant matrimonii ortum ex peccato*, 95. *ſq.*

Lutherus, an prægrandem pſeudermeniam in Articulis Smalcaldicis commiſerit? 264. *an ejus phraſis redoleat Flacianiſmum* 272. *an Spiritus Sancti acceptionem ex decalogo derivet?* 273. *ſq. an Renovationem Juſtificationi immiſceat?* 278. *Papiſtica coactioni ad fidem pollicem premat?* 282. *inſtanter urgat immerſionem in baptiſmo*, 283. *injungit crucis ſignum*, 284. *an faveat Anabaptiſmo & Puritaniſmo?* 289. *pulcra eſt ejus admonitio de baptiſmo*, 297. *an de Deo anthropomorphicῶs loquatur?* 301. *Corpus Chriſti quomodo infrugiferum dicat?* 301. *teſtatur plerophoriam ſuam*, 311. *an ejus verba Spiritum Chriſti autorem habeant?* 312. *ſq.*

M. *Ma-*

M.

Matrimonium, ejus ortus non derivatur ex peccato, 95.

Melanchthon, an ejus Scripta abrogata à Luthero, & à Concordiæ Autoribus æſtimata ſint? 15. conf. etiam Tit. Philippus Melanchthon.

Merces, vid. Meritum.

Meritum & Mereri, quomodo accipiatur in Apologia? p. 174. ſq.

Miniſter Eccleſiæ impius nil officit efficaciæ verbi divini, 207. ſq. an mandatum habeat cognoſcendi peccata occulta? 223. an ſeipſum communicare poſſit? 262.

Miniſterium Eccleſiaſticum, Ejus efficacia non dependet à Miniſtri vel pietate vel impietate, 86.

Miſſa, in quantum arguatur? 98. ſq. ejus disſimilitudo, 115. Etymologia & ſignificatio, 242. ſq.

N.

Novitas vitæ, an & quomodo ſalvet? 180. ſq. per fidei exercitia exponitur, 192.

O.

Oratio pro mortuis, an in Apologia & Articulis Smalcaldicis ut non inutilis approbetur? 246. admittitur in Eccleſiis noſtris 249. ejus Epilogus quare omiſſus? 282.

P.

Peccatum Deus peccatis punit, 318.

Pædo-baptiſmus eſt Deo gratus, 210. confert fidem, 290

Philippus Melanchthon, quorſum in Corpore ſuo inclinaverit? 14. 38. 39. Ejus Scripta judicio diſcretivo legenda, 39. defenditur, 45.

Planta mala, 121. bona, ead.

Pœnitentia, quomodo in Apologia Sacramentum dicatur? 221.

Pontificii, quid Formulæ Concordiæ opponant? 7. refutantur,

tantur, 40. *quid in illis Apologia culpet?* 139.
Præcepta ſecundæ Tabulæ non continent tantum juſtitiam civilem & externa politica opera, 138.
Præfatio Philippiſtarum & Synergiſtarum an errores diſſimulet, & Laicos Calvinianos abſolvat? 63.
Preces, vid. Oratio.
Proteſtatio nuda & inanis non ſemper totum rei negotium conficit, 35.
Puritaniſmus, ei non favet Lutherus, 289.

R.

Remisſio peccatorum & Juſtificatio, an Apologia ut duas res diverſas ponat? 70. *quomodo eam conſequamur?* 149.
Renovatio differt à Juſtificatione, 278.

S.

Sacra Cœna, an ſingulis Dominicis juxta Auguſt. Conf. Apol. & Lutheri Cat. Maj. petenda? 109. *quomodo in ea panis & vinum mutetur?* 217.
Sacramentum, quomodo accipiatur in Apologia? 221. *ejus proprietates eſſentiales*, p. ead.
Sacrificia, quid de illis Apologia doceat? 178.
Selneccerus defenditur, 43.
Semper pecco, quomodo intelligendum, 101.
Spiritus Sanctus, eum efficere fidem, & per fidem dari, non ſunt ἀσύςατα, 76. *etiam nondum renatis adſiſtit*, 77. *an accipiatur ex decalogo?* 273. *ei tribuit Lutherus diſtinctos illuminationis gradus*, 289.

T.

Titulus Librorum Symbolicorum vindicatur, 57.
Transſubſtantiatio, an probetur in Apologia? 217. *an ei faveat Formula Concordiæ?* 314.

W.

Wiclef, Jo. in quantum arguendus? 229. *oppoſuit ſe Anti-Chriſto*, p. 230. *ſq.*

Dicta Scriptura explicata & vindicata.

Devt.XVI,10. 243.ſq.
Job.IV,12. 290
IX,23. 202
30. 198 ſq.
Pſalm.XCV,8. 305
CXVI,11. 124 ſq.
Prov.XXVII,23. 224
Jeſ.XLVI,3. 76
Jer.XXXI,33. 169 ſq.
Ezech.XX,25. 249
Zachar.I,12. 232 ſq.
Tob.IV,10.11. 187
191 ſq.
Matth.VI,11. 177
XV,13. 121 ſq.
XIX,21. 256 ſq.
XXIII,2. 86
Marc.I,15. 186
Luc.XVII,10. 78 ſq.
Joh.III,5. 89
VI,35. 241 ſq.
Actor.XVII,28. 76
Rom.II,13. 178 ſq.
III,21. 142 ſq.
Rom.VII,19. 173 ſq.
XIV,23. 141 ſq.
25. 173 ſq.
1.Cor.V,6. 309
IX,9.10. 224
XI,33. 113
XIII,12. 289
XV,56.57. 165 ſq.
2.Cor.III,5. 304
VI,1. 308
XIII,8.10. 115 ſq.
Gal.III,24. 138
Coloſſ.III,14. 119
1.Tim.II,15. 197
V,8.12. 258 ſq.
1.Pet.III,19.20. 320 ſq.
1.Joh.III,5.9.18. 89
Ebr.I,1. 290
VIII,7-13. 170,172
Jac.II,24. p.163.164
179
Apoc.X,3. 264 ſq.
XII,1. 265

FINIS.

VA1 1529758

Digitized by Google

[illegible] by Google

163
L
40

Digitized by Google